St. Albert's College Library

TECHNOLOGIA

SCHOLASTICA

SEU

TERMINI ET DISTINCTIONES

JUXTA SCHOLASTICOS

Auctore E. TAJANI

Presbytero et olim in seminario Senonensi philosophiæ professore

St. Albert's College Library

PARISIIS

TYPIS CAROLI NOBLET

VIA *vulgo* DICTA SOUFFLOT, 18

1865

St. Albert's College Library

St. Albert's College Library

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

St. Albert's College Library

F. Connolly, O.P.
San Francisco,
Calif

TECHNOLOGIA

SCHOLASTICA

Nemini, sine auctoris facultate, præsens opus ullo modo edere liceat.

St. Albert's College Library

TECHNOLOGIA

SCHOLASTICA

SEU

TERMINI ET DISTINCTIONES

JUXTA SCHOLASTICOS

Auctore E. TAJANI

Presbytero et olim in seminario Senonensi philosophiæ professore

St. Albert's College Library

PARISIIS

TYPIS CAROLI NOBLET

VIA *vulgo* DICTA SOUFFLOT, 18

—

1865



Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/technologiaschol0000auct

PRÆFATIO

Cum sensim in nostra ætate reviviscat philosophiæ scholasticæ studium, cumque juvenes christianas disciplinas adeuntes, ex doctorum operibus, quos medio ævo Ecclesia catholica fecundo sinu genuit, præsertim ex Divo Thoma Aquinate, scientiam haurire velint, necessarium prorsus visum est lexicon aliquod manuale, ut ita dicam, ad usum alumnorum elaborare, quod omnes in promptu habeant; et, difficultate exorta, facilius evolvere possint.

Nemo non scit profecto inveniri apud scholasticos terminologiam quamdam egregie con-

436

cinnatam, et (ubi intellectus eam apprehendit) claram, brevem, simul ac ab omni ambigua periphrase abhorrentem.

Non equidem sine medio methodus illa fructificat (cum sine studio nihil magnum fieri possit), sed ut semel ejus secreta quærenti cognita sunt, mirum in modum illuminantur tenebræ metaphysicarum etiam quæstionum, quas sæpe paucis explicare facile est.

Opus ergo hujusmodi multum et multis prodesse potest, sed cum tanta sit illius utilitas, non videtur hactenus neglígi potuisse. Revera in lucem prodierunt nonnulla scripta ad id spectantia, sed ex istis aliud tyronibus inintelligibile est, aliud fusius quam decet res proponit, aliud miram insufficientiam redolet. Propterea expetitum est Breviarium technologiæ scholasticæ utpote incipientibus perutile et jam exercitatis non ingratum. Inde, adhortationibus conformati, ad id devenimus ut volumen illud excogitaremus et in lucem proferremus. In hoc novo opere, aliorum exem-

plorum edocti, removendi præsertim in animo habuimus ambages illas quæ juvenes offendere possent in tanto et tam nobili studio.

Unum autem illud laboris præmium intendimus et expectamus, ut veris scientiæ amatoribus facilior via aperiatur, humilibusque Doctoris angelici discipulis liceat Magistri insistere vestigiis!



A

1. Ab impossibili sequitur quodlibet : id est, admissa una absurditate, uti vera, deduci possunt et aliæ.

2. Ab indifferenti uti indifferenti nihil determinatum oriri potest. — Id est, ut aliquid actuetur, oportet ut sit determinatum per aliquid sive intrinsece, sive extrinsece; unde sine hac determinatione nihil existit.

3. Absolute, accidentaliter. — Absolute est id quod convenit secundum essentiam rei. — Accidentaliter, id quod convenit secundum

proprietatem rei. — Absolute est idem quam simpliciter. — Accidentaliter est idem quam secundum quid, vel relative, seu comparative, vel conditionate.

4. Absolute, accommode. — Absolute est idem quam sine exceptione. — Accommode est idem quam cum aliqua exceptione.

5. Absolute, adjective. — Absolute est idem quam substantive, seu aliquid per se subsistens. — Adjective est idem quam adjacens alteri.

6. Absolute, connotative. — Absolute idem valet quam sine relatione, unde significat aliquid ad instar substantiæ. — Connotative idem valet quam cum relatione, unde significat aliquid ad instar adjacentis, sive res vere alteri adjaceat, ut cum exprimitur accidens; sive nulli inhæreat, sed sit substantia.

7. Absolute, cum addito. — Absolute idem valet quam sine additione, vel quia nihil potest addi rei, uti Deus; vel quia non est de ejus ratione additio. — Cum addito dicitur aliquid tale, quod tale dici potest solum aliquo addito, sive expresso, sive subintellecto.

8. Absolute, hic et nunc. — Absolute, id est, non spectatis circumstantiis. — Hic et nunc, si spectentur in re circumstantiæ.

9. Absolute, hypothetice. — Absolute, id est, non facta suppositione. — Hypothetice dicitur quod est tale, facta aliqua suppositione.

10. Absolutum est prius secundum esse, et posterius secundum dici. — Significat quod sicut relativum est essentialiter ad aliquid, secundum suum esse, est ita posterius ipso absoluto, quod essentialiter existit in se, ideo secundum esse; et sicut absolutum nunquam respicitur in aliquid, et relativum respici possit uti accidens in esse et ad aliquid, ita est prius relativo, quod dicitur secundum dici.

11. Abstracta prædicantur de Deo. — Significat quod, cum abstracta significent naturam rei, et concreta, suppositum rei, ita de Deo, quoad ejus naturam, prædicari non potest nisi de abstractis.

12. Abstracte, concrete. — Abstractum est aliquod consideratum in una eademque re, aliis non consideratis. — Concretum idem est

ac aliquid subjectum cum sua determinatione, vel quasi cum determinatione.

13. Abstractio formalis, abstractio totalis. — Abstractio formalis est illa qua forma abstrahitur a materia. — Abstractio totalis est illa qua totum universale abstrahitur a partibus subjectivis.

13 *bis*. Abstractio realis, abstractio logica. — Abstractio realis est illa qua res ab altera realiter separatur, uti brachium a corpore. — Abstractio logica est actio intellectus qui aliquid sine alio concipit, cum quo realiter unitur; uti conceptio hominis sine conceptione aliorum hominum.

14. Abstractio simplex, præcisio objectiva. — Abstractio simplex est illa qua natura rei abstrahitur a conditionibus materialibus per intellectum agentem. — Præcisio objectiva est illa qua intellectus possibilis, jam positus in actu per speciem intelligibilem, plura in eadem re concepta distinguit at secernit, quæ reipsa distincta non sunt, et illorum unum considerat, cæteris minime consideratis.

14 *bis.* ABSTRACTIO MATHEMATICA, METAPHYSICA, PHYSICA. — Abstractio mathematica est separatio materiæ sensibilis, sed non intelligibilis. — Abstractio metaphysica est separatio materiæ sensibilis et intelligibilis. — Abstractio physica est separatio materiæ singularis, sed non sensibilis.

15. ABSTRACTIVE, INTUITIVE, COMPREHENSIVE. — Abstractive est quod absens cognoscitur, sed non uti existit in seipso. — Intuitive est quod cognoscitur non solum uti præsens in mente sed etiam in seipso. — Comprehensive est quod cognoscitur tantum in quantum cognoscibile est.

16. ABSTRACTUM PER EXISTENTIAM, ABSTRACTUM PER INDIFFERENTIAM. — Abstractum per existentiam est Deus et Intelligentiæ Angelicæ. — Abstractum per indifferentiam est ens, unum, verum, bonum, quia indifferenter reperiuntur in superioribus et in inferioribus.

17. ABUSIVE, PROPRIE. — Abusive, si aliquid attribuitur alicui tantum ob similitudinem aliquam. — Proprie, si aliquid attribuitur in propria et reali significatione.

18. ACCESSORIE, PRINCIPALITER. — Accessorie est id quod non intenditur præcipue. — Principaliter, est id quod præcipue intenditur.

19. ACCIDENS SPECIEI CONSEQUITUR FORMAM, ACCIDENS INDIVIDUI CONSEQUITUR MATERIAM. — Accidens speciei consequitur formam, id est, accidens subjectatur in forma simplici, quæ non est suum esse, adeoque consequitur speciem subjecti, et per speciem, formam. — Accidens individui consequitur materiam, quia materia est principium individuationis.

20. ACCIDENS NON HABET ESSE IN SUBJECTO, sed habet esse, quatenus est ad rem cui debetur esse. Accidens accipitur dupliciter : vel pro natura condivisa substantiæ, vel pro eo quod nominet aliquid per aliud.

20 *bis*. ACCIDENS ABSOLUTUM, MODALE, PRÆDICAMENTALE. — Accidens absolutum est quod divina virtute sine subjecto existere potest. — Accidens modale est quod sine subjecto existere nequit. — Accidens prædicamentale est idem quod accidens metaphysicum.

21. ACCIDENS LOGICUM, ACCIDENS PHYSICUM. — Accidens logicum est omne id quod non est

essentia nec proprietas rei, sed tamen realiter ab ipsa re distinguitur : v. g. rationale respectu animalis. — Accidens physicum vel metaphysicum est id quod alteri inhæret et reipsa potest ab illo separari : v. g. virtus respectu animæ. — Accidens vero generatim acceptum definitur : quod attribuitur multis in quale quid contingenter.

21 *bis*. Accidens separabile, inseparabile. — Accidens separabile est quod facile separari potest a subjecto, uti calor a ferro. — Accidens inseparabile est quod vix separari potest a subjecto; uti albedo a nive.

21 *ter*. Accidens extrinsecum, intrinsecum. — Accidens extrinsecum est quod ad subjectum refertur extrinsece, uti actio exterior ad agens. — Accidens intrinsecum est quod realiter est in re, uti frigus in aqua.

21 *quater*. Accidens completum, incompletum. — Accidens completum est quod habet entitatem accidentalem a substantia et ab aliis substantiis distinctam. — Accidens incompletum est a quo perficitur subjectum.

22. Actio, passio. — Actio est emanatio effectus ab agente. — Passio est receptio ef-

fectus in subjecto, et patiens est subjectum recipiens passionem.

22 *bis.* ACTIO SUBSTANTIALIS, ACCIDENTALIS. — Actio substantialis est quæ habet uti terminum substantiam. — Actio accidentalis est quæ producit accidens.

22 *ter.* ACTIO INSTANTANEA, SUCCESSIVA. — Actio instantanea est illa qua aliquod producitur sine partibus temporis determinatis. — Actio successiva est qua producitur per partes temporis determinatas.

23. ACTIO NATURÆ TERMINATUR AD UNUM. — Id est : sicut natura necessario determinatur ad unum, ita naturæ actio; quia effectus assimilatur formæ per quam agit.

24. ACTIO ET PASSIO DIFFERUNT SECUNDUM HABITUDINEM. — Id est, remoto motu in actione, actio nil importat aliud quam ordinem originis secundum quod a causa aliqua vel principio procedit in effectum; et revera, sicut passio est motus, quatenus est in aliquo mobili, ita actio est origo ipsius motus secundum quod incipit ab alio et terminatur in id quod movetur.

25. Actio transiens quoad entitatem est in agente : quoad motum, seu considera-tum concomitanter est in subjecto pa-tiente. — Actio transiens quoad entitatem est in agente, id est : subjectum per actionem recipit totum esse actionis. — Actio transiens quoad motum seu concomitanter est in subjecto patiente, id est : actio considerata ut in termino motus est in patiente, quia actio in patiente non differt a passione.

26. Actio voluntatis non terminatur ad unum. — Quia, sicut actio assimilatur formæ, ita sicut formæ per quas agit voluntas sunt plures, ita et actiones.

27. Actio formaliter, actio effective, actio per modum causæ finalis. — Actio formaliter, quando agens per accidens dat effectui propriam formam, uti albedo quæ facit album..... Actio effective, id est, quando agens facit aliquid in alio quod non sit propria forma, uti pictor qui facit album parietem. — Actio per modum causæ finalis si finis actionis movet agens, monendo et alliciendo.

28. ACTIONES SUNT SUPPOSITORUM. — Id est, actiones et passiones tribuuntur toti individuo et non ejus parti.

29. ACTU, POTENTIA. — Actu est quod reapse existit. — Potentia, est quod existere potest, quamvis reapse hic et nunc non existat.

30. ACTUALITER, APTITUDINALITER. — Actualiter dicitur de omni re quæ possidet terminum suæ inclinationis. — Aptitudinaliter dicitur de omni re quæ est capax ad aliquid et ad ipsum semper inclinat.

31. ACTUALITER, VIRTUALITER, HABITUALITER, INTERPRETATIVE. — Actualiter est quod fit ipso actu. - Virtualiter est quod non fit ipso actu, sed ex virtute relicta ab actu. — Habitualiter est quod fit per facilitatem ex repetitione actuum. — Interpretative est quod fit juxta communem existimationem hominum.

32. ACTUS, POTENTIA. — Actus est res quæ est, nec ita est sicut quando in potentia, unde actus idem est quam entis existentia et opponitur potentiæ. — Potentia est possibilitas et capacitas essendi quæ actuata non est per actum.

32 *bis.* Actus accidentalis perfectus, actus accidentalis imperfectus. — Actus accidentalis perfectus est qui ita subjectum in actu ponit ut idem subjectum ad alium actum tendere nequeat; uti lumen. — Actus accidentalis imperfectus est qui tendit ad aliam formam, uti illuminatio quæ ad lucem tendit.

33. Actus elicitus, actus imperatus. — Actus elicitus est actus qui fit a voluntate et in ipsa remanet, uti volitio et nolitio.—Actus imperatus est quod imperatur a voluntate; sed ab alia potentia executioni mandatur.

34. Actus formalis vel primus, actus secundus. — Actus formalis vel primus est quando actus remanet in potentia sicut in materia, ita ut actus primus est ipsa potentia et etiam esse. — Actus secundus est operatio actus primi.

34 *bis.* Actus physicus, actus metaphysicus. — Actus physicus est qui cum potentia ad efformandum compositum reale concurrit; uti anima. — Actus metaphysicus est qui cum potentia constituit compositum metaphysicum.

35. Actus subsistens, actus non subsistens. — Actus subsistens est actus primus vel forma existens sine potentia, uti Angelus, vel cum potentia existendi sine potentia, uti anima humana. — Actus non subsistens est actus primus vel forma quae non potest existere sine potentia, uti anima sensitiva vel vegetativa.

36. Actus subsistens completus, actus subsistens incompletus. — Actus subsistens completus est forma quam materia recipere non potest, et quæ habet sine materia et extra materiam perfectionem et operationem completam, uti Angelus. — Actus subsistens incompletus est forma quæ, quamvis possit existere sine materia, tamen habet in materia solum perfectionem et operationem completam, uti anima humana.

37. Actus informativus. — Actus informativus respondet potentiæ formabili et est quod est in aliquo composito (quod dicitur potentia formabilis) ad instar formæ, unde omnis anima est actus informativus, relative ad materiam in qua existit et quæ dici potest potentia formabilis.

38. Actus primus proximus, actus primus remotus. — Actus primus proximus est ipse actus cum omnibus conditionibus quæ illum reddunt aptum ad operationem. — Actus primus remotus est ipse actus primus conditione deficiens ut aptus sit ad operationem.

39. Actus prior est potentia simpliciter. — Id est, actus absolute est ante potentiam, quatenus potentia non reducitur in actum nisi per actum.

40. Actus posterior est potentia tempore. — Id est quod exit in actum, jam erat antea in potentia.

41. Actus proportionatur potentiæ et agenti. — Id est, haberi debet aliqua æqualitas, quia sicut actus subit suam differentiam specificam a subjecto, ita et ipsa potentia : attamen recipit majorem vel minorem qualitatem ab ipso agente, unde dicitur proportionari potentiæ et agenti, sicut motus habet speciem ex termino ad quem, sed intensitatem habet velocitatis ex dispositione mobilis et virtute moventis.

42. Actus purus. — Actus purus est ens actu existens, non habens aliquid de poten-

tialitate; nec objective, nec subjective; quod competit solummodo Deo.

43. Actus directus, actus reflexus.—Actus directus est ipsa repræsentatio objecti ad potentiam cognoscitivam, uti simplex perceptio. —Actus reflexus est quando anima revenit in ipsum directum per reflexionem.

44. Actus exercitus, actus signatus. — Actus exercitus est ipse actus qui fit, vel fit ut nullo signo expresse indicetur id fieri. — Actus signatus est quod fit et designatur verbis et signis.

45. Ad alterum, ad seipsum. — Ad alterum dicitur si spectatur ens, quatenus relationem habet ad aliud. — Ad seipsum dicitur, si spectatur ens in seipso.

46. Ad extra, ad intra. — Ad extra est actio cujus effectus terminatur extra ipsum principium actionis. — Ad intra est idem quam immanens : est actio cujus effectus terminatur in ipso principio actionis. —Ad extra est idem quam transiens.

47. Adæquate, inadæquate. — Adæquate est quod sumitur secundum totum objectum.

— Inadæquate est quod sumitur secundum aliquam partem totius.

48. Ad quem, a quo. — Ad quem est terminus in quo actio ultimo quiescit. — A quo est terminus ubi actio incipitur.

49. Adhæsive, informative. — Adhæsive est id quod existit alteri inhærens et ab isto dependens, uti accidentia. — Informative est id quod in altero existit tanquam ejus forma, uti anima respectu corporis.

49 *bis*. Adscitas est idem ac ad se ordinem habere.

50. Æquipollenter. — Æquipollenter valet æqualitatem inter duas propositiones per aliquas particulas sine quibus essent oppositæ. In contradictoriis, æquipollentia fit per appositionem particulæ negativæ ante totum subjectum alterutrius; in contrariis, negativa postponitur subjecto alterutrius.

51. Æquivoce, analogice, univoce.—Æquivoce est quod convenit pluribus sub diversa ratione, uti nomen canis quod convenit animali et constellationi. — Analogum est nomen quod convenit pluribus per aliquam propor-

tionem et habitudinem; — v. g. visus dicitur de oculis et de mente. — Analogia proportionis vel attributionis dicitur, si proportio est unius ad alterum, vel plurium ad unum. — Analogia proportionalitatis, si est proportio plurium ad diversa. — Univocum est nomen commune quod pluribus convenit sub eadem ratione. Hæc tria efformant primum antepræ-dicamentum, uti dicunt scholæ, quatenus explicantur ante prædicamenta.

52. Æternum a parte ante, æternum a parte post. — Æternum a parte ante est æternum duratione infinita in actu. — Æternum a parte post est æternum duratione infinita in potentia tantum.

52 *bis.* Agens, patiens. — Agens est subjectum actionem producens. — Patiens est subjectum actionem recipiens.

53. Agens æquivocum, analogum, univocum, adjuvans, consulens, disponens. — Vide : *Causa æquivoca, analoga*... etc...

54. Agens agit propter finem. — Id est, omne agens habet aliquid determinatum ad quod tendit per operationem.

55. AGENS AGIT PROPTER BONUM. — Quia omnis finis est bonum, et agens agit propter finem.

56. AGENS REDUPLICATIVE EST NOBILIUS PASSO. — Id est, agens, uti agens est in se spectatum, superius passo.

57. ALLEGORICE, ANALOGICE, TROPOLOGICE. — Allegorice sumitur vox in sacra scriptura ad aliquid significandum cum quo habeat aliquam analogiam, quamvis ex se aliquid aliud significet. — Analogice sumitur vox in sacra scriptura quæ, quamvis per se aliud significet, tamen sumitur ad significandam ecclesiam triomphantem. — Tropologice sive moraliter, est vox in sacra scriptura quæ sumitur uti pertinens ad mores, quamvis per se aliud significet.

58. ANTECEDENTER, CONSEQUENTER, CONCOMITANTER. — Antecedenter est quod est altero prius. — Consequenter est quod est altero posterius. — Concomitanter, quod est nec prius nec posterius altero, sed alteri conjungitur.

59. ANTECEDENTER, CONSEQUENTER. — Antecedenter et consequenter dicuntur de volun-

tate. Antecedenter, juxta Thomistas, si consideratur voluntas, quatenus fertur in objectum, secundum se et præcisum a circumstantiis. — Consequenter, quando fertur voluntas in objectum vestitum omnibus circumstantiis. Juxta Molinistas, antecedenter, quando voluntas antecedit prævisionem nostri consensus; consequenter quando illum sequitur.

59 *bis*. Antiperistasis est idem ac circumobsistentia; et sonat idem ac resistentiam corpori factam ab aliis corporibus quæ circa se existunt.

60. A PARTE REI, SUB CONCEPTU. — A parte rei, id est, res independenter a consideratione mentis accepta. — Sub conceptu, quando esse rei dependet tantum a consideratione mentis.

61. A POSTERIORI, A PRIORI. — A posteriori, id est, ab effectu ad causam, vel a consequente ad antecedens. — A priori, id est, a causa ad effectum vel ab antecedente ad consequens.

62. ATTRIBUTIO POSITIVA, ATTRIBUTIO NEGATIVA. — Attributio positiva dicitur, si ali-

quid quod importat aliquam perfectionem, alicui attribuitur, uti justitia respectu Dei. — Attributio negativa, si aliquid quod alicui attribuitur removet aliquam imperfectionem, uti esse incorporeum respectu Dei.

63. Appetitus intellectivus, appetitus sensitivus. — Appetitus intellectivus est inclinatio in rem appetibilem apprehensam per intellectum. — Appetitus sensitivus est inclinatio in rem appetibilem apprehensam per sensus, et duplex est : irascibilis et concupiscibilis.

64. Artificialiter, naturaliter. — Artificialiter quod pendet ab arte vel industria. — Naturaliter quod pendet a natura et essentia rei.

64 *bis*. Augeri per juxtapositionem, augeri per intussusceptionem. — Augeri per juxtapositionem est augmentatio partium partibus jam existentibus. — Augeri per intussusceptionem est augmentatio rei in sua identitate substantiali, uti corpus quod augetur per conversionem alimentorum in substantiam.

64 *ter*. Augeri intensive, augeri extensive. — Augeri intensive est possessio alicujus rei in gradu superiori. — Augeri extensive est cum qualitas extenditur ad plures partes.

B

65. Bonitate entis, bonitate morali. — Bonitate entis dicitur bonum quod habet suam perfectionem in suo genere, unde omne ens est bonum. — Bonitate morali dicitur bonum quod est conforme regulis rectæ rationis. — Bonitate entis dicitur etiam bonitate entitativa, seu essentiali, seu in genere entis, seu transcendentali. — Bonitate morali dicitur etiam bonitate in genere moris.

66. Bonum est diffusivum sui ipsius. — Id est sicut omne bonum est appetibile, ita habet rationem causæ finalis, quatenus alliciat et

moveat voluntatem ad istud assequendum, at non est intelligendum quod sit principium effectivum sui diffusionis.

67. Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu. — Id est, ad perfectionem totius requiritur perfectio omnium partium, unde si aliqua pars est imperfecta, totum erit imperfectum.

68. Bonum totius est bonum partium. — Quia quod perficit totum perficit singulas partes quæ totum efformant, unde partes naturaliter appetunt totum.

69. Bonum, verum, unum, et ens convertuntur. — Bonum convertitur cum ente, quia omne ens, quatenus in actu est, perfectum est, ideoque appetibile sicut et bonum. — Bonum convertitur cum vero, quia omne verum est ens. — Bonum convertitur cum uno, quia omne ens est unum : omne ens est aliquid indivisum.

C

70. Cæteris paribus, cæteris imparibus. — Caeteris paribus fit comparatio inter plura, dum inter ea omnia ponuntur per ea : v. g. caeteris paribus equus est praestantior asino. — Caeteris imparibus fit comparatio inter plura inter quae omnia non sunt paria : v. g. caeteris imparibus, asinus robustus est praestantior equo impotente.

71. Casu. — Casu vel idem valet quam fatum, vel idem valet quam accidens vel fortuitum. — Si sumitur pro accidente, est id quod evenit praeter intentionem agentis.

72. Casuale, voluntarium. — Casuale est quod est praeter intentionem agentis. — Voluntarium est quod provenit ab intrinseco cum intentione finis.

73. CATEGORICE, TRANSCENDENTALITER. — Categorice idem est ac in certo genere entis. — Transcendentaliter idem est ac quod convenit omni enti... Categorice valet etiam determinate.

74. CATEGOREMATICE, SYNCATEGOREMATICE. — Categorematice significat aliquam vocent quae sumpta pro suo significato potest ex se sola de alia praedicari, ut vox, homo. — Syncategorematice, si illa vox, pro suo significato sumpta, non potest ex se sola de alia praedicari.

75. CAUSA, CAUSATUM. — Causa est id ad quod sequitur aliud per influxum et dependentiam. — Causatum est quod producitur a causa et dicitur effectus.

76. CAUSÆ CAUSA EST CAUSA CAUSATI. — Id est causa dans potentiam et vires alicui est etiam causa, saltem remota, hujus alterius.

77. CAUSA NON EST CAUSA SUIIPSIUS. — Nam nulla est causa nisi ponatur in actu ab aliquo quod sit in actu.

78. CAUSA EFFICIENS, CAUSA FORMALIS, CAUSA FINALIS, CAUSA MATERIALIS. — Causa efficiens

vel movens, vel principium quod, est id quod producit aliquid ex se immediate. — Causa formalis, vel principium quo, est illa quae dat formam. Est intrinseca, si constituit materiam in esse determinato; causa formalis extrinseca vel exemplaris est ipsa idaea, seu conceptio, seu id quod sibi ad imitandum aliquis proponit. — Causa finalis vel principium propter quod, est illud cujus gratia aliquid fit. — Causa materialis vel principium ex quo, est illa ex qua et in qua aliquid fit.

79. Causa perficiens, causa disponens. — Causa perficiens est causa efficiens quae producit formam substantialem vel artificialem. — Causa disponens quae non dat ultimam formam alicui rei, sed praeparat ad formam.

80. Causa adjuvans vel moralis, causa consilians. — Causa adjuvans est causa efficiens quae operatur extrinsece, uti auxiliatores principis in bello. — Causa consilians est, si indicat finem et formam agentibus secundariis.

81. Causa per se, causa per accidens. — Causa per se est causa efficiens quae agit virtute propria et ordinatur ad effectum sui natura.

— Causa per accidens si non ordinatur ad effectum sui natura.

82. Causa principalis, causa instrumentalis. — Causa principalis est causa efficiens quae agit virtute propria. — Causa instrumentalis quae agit virtute alterius.

83. Causa universalis, causa particularis. — Causa universalis est causa efficiens quae se extendit ad plures effectus specie diversos. — Causa particularis, si producere potest effectus naturales ejusdem speciei.

84. Causa univoca, æquivoca, analoga. — Causa univoca est causa efficiens quae producit effectum specie similem sibi. — Causa aequivoca si producit effectus specie diversos ab ipsa causa. — Causa analoga, si effectus habet aliquam similitudinem cum causa.

85. Causa proxima, causa remota. — Causa proxima seu immediata est causa efficiens quae influit immediate in effectum. — Causa remota seu mediata est illa quae influit mediate.

86. Causa libera, causa necessaria. — Causa libera est illa quae agit per electionem.

Causa necessaria est causa efficiens quae agit sine electione et vi naturae.

87. Causa totalis, causa partialis. — Causa totalis est causa efficiens quae producit totum effectum. — Causa partialis est quae producit tantum partem effectus.

88. Causa physica, causa moralis. — Causa physica est causa efficiens quae agit per verum motum. — Causa moralis quae agit jubendo, monendo, alliciendo....

89. Causæ secundæ agunt virtute causæ primæ, et sunt instrumenta respecus causæ primæ. — Id est, causae secundae agunt per influxum causae primae et per virtutem a prima communicatam.

90. Causa sublata, tollitur effectus. — Id est, causa immediata sublata, ad quam alia causa non succedit quae conservet effectum, effectus destruitur.

91. Causæ sunt priores effectibus suis natura. — Causa uti causa est eodem tempore cum effectibus, sed effectus ab ea pendent.

92. Causa nequit esse simul et effectus, respectu ejusdem in eodem genere causæ. —

Id est, causa non potest esse in eodem tempore prius et posterius respectu ejusdem.

93. Causa potest esse simul et effectus in diverso genere causæ. — Id est, aliqua causa potest producere aliquid, quamvis ipsa sit effectus alterius causae diversi generis.

93 *bis*. Causalitas est actio causae, seu denominatio abstracta causae.

94. Causaliter, formaliter, occasionaliter. — Formaliter est tale quod formam illius talis continet. — Causaliter est tale quod est causa illius formae. — Occasionaliter est tale quod producit aliquid non uti causa, sed uti opportunitas rei gerendæ.

95. Certitudinaliter, conjecturaliter. — Certitudinaliter, seu certo, idem est ac cum certitudine. — Conjecturaliter idem est ac aliquid cognosci per aliqua signa.

96. Certitudo, incertitudo. — Certitudo est vis adhæsionis virtutis cognoscitivæ rei ad suum cognoscibile, id est ad objectum quod mens cognoscere potest. — Incertitudo est status quo virtus cognoscitiva, ob paritatem

motivorum contra et pro, non adhæret suo cognoscibili.

97. Certitudo subjectiva, objectiva. — Certitudo subjectiva est adhaesio magis vel minus completa mentis conceptioni quam ipsa habet rei. — Certitudo objectiva est modus quo praedicatum subjecto propositionis relationem habet, et quo propositio se praesentat intellectui, uti objectum.

98. Certitudo intuitiva, discursiva, historica vel auctoritativa. — Certitudo intuitiva est certitudo subjectiva prout est visio immediata et directa relationis inter praedicatum et subjectum propositionis, inter modum concipiendi intellectus et rem eamdem, id est si mens adhaeret ob visionem immediatam praedicati et subjecti. — Certitudo discursiva vel mediata, quando mens mediante ratiocinio videt relationem inter praedicatum et subjectum inter modum concipiendi intellectus et rem eamdem, id est, si adhaeret ob motiva per ratiocinium habita. — Certitudo historica vel auctoritativa est quando mens adhaeret verae propositioni sine visione habitudinis, sed sola auctoritate alterius.

99. CERTITUDO METAPHYSICA, PHYSICA, MORALIS. — Certitudo metaphysica dicitur certitudo objectiva, si praedicatum nequit separari a subjecto sine contradictione; dicitur etiam mathematica. — Certitudo physica si unio fundatur in legibus physicis. — Certitudo moralis, si unio praedicati et subjecti fundatur in eo secundum quod communiter et in pluribus casibus advenit.

100. CERTIUS QUOAD SE, CERTIUS QUOAD NOS. — Certius quoad se dicitur, quando res per se habet rationes firmiores certitudinis. — Certius quoad nos, quando certitudo est magis naturalis nostro intellectui.

101. CIRCUMSCRIPTIVE, DEFINITIVE SEU COMMENSURATIVE, REPLETIVE SEU DIMENSIVE. — Circumscriptive valet esse in loco, ita ut diversae partes rei respondeant diversis partibus loci, uti corpora in loco. — Definitive valet esse in loco, ita ut tota res sit in toto loco et tota in singulis partibus, uti anima in corpore. — Repletive valet esse in loco, ita ut locum repleat et a loco non contineatur, uti Deus.

102. COACTE, LIBERE. — Coacte dicitur de libertate, quatenus est spontaneitas quæ in

omnibus entibus reperitur, ob quam ex aliqua necessitate entia ipsa agunt. — Libere est quod fit ex voluntate per electionem.

103. Cognitio confusa virtualis, cognitio distincta virtualis. — Cognitio confusa virtualis est cognitio qua objectum, secundum quod in ipso virtualiter includitur, non perfecte cognoscitur. — Cognitio distincta virtualis est cognitio qua objectum penetratur, secundum id quod virtualiter in ipso includitur.

104. Cognitio matutina, cognitio vespertina. — Cognitio matutina est visio ipsa divina qua beati clare in Verbo vident omnia divina mysteria, et est intuitiva vel discursiva eminenter. — Cognitio vespertina est illa qua beati, ex principiis lumine divinæ gloriæ cognitis, deducunt vi luminis naturalis conclusiones circa divina mysteria, et eas cognoscunt vel per species infusas a Deo, vel proprio labore partas in statu viatorum, seu in via, et est discursiva essentialiter.

105. Cognitio confusa actualis, cognitio distincta actualis. — Cognitio confusa actualis est cognitio qua absque penetratione

cognoscitur id quod actualiter in objecto invenitur. Cognitio distincta actualis est cognitio qua penetratur id quod actualiter in objecto invenitur.

105 *bis*. Cognitio quidditativa, cognitio comprehensiva, cognitio abstractiva. — Cognitio quidditativa est cognitio quidditatis seu essentiæ. — Cognitio comprehensiva est cognitio objecti in quantum ipsum objectum cognosci potest. — Cognitio abstractiva est cognitio per quam intellectus essentiam rei intelligit sine existentia.

106. Cognitum in seipso, cognitum in altero. — Cognitum in seipso est quod cognoscitur per propriam speciem adæquatam ipso cognoscibili et dicitur etiam medium quo. — Cognitum in altero est quod cognoscitur per speciem alterius in quo continetur, sicut pars videtur in toto per speciem totius.

107. Cognoscere plura ut plura, cognoscere plura ut unum. — Cognoscere plura ut plura significat cognoscere plura omnino separata et nullum habentia ordinem inter ipsa per diversas species. — Cognoscere plura ut

unum est cognoscere per unam speciem plura habentia ordinem ad unum totum quod componunt.

108. Collective, copulatim seu conjunctim, distributive, copulative, seu divisim. — Collective, copulatim est vox quæ sumitur pro omnibus significatis simul sumptis. — Distributive, copulative est vox quæ plura repræsentat sed disjuncta, ita ut collective dicitur exercitus et distributive dicitur miles, quia affirmatur de unoquoque individuo exercitus.

109. Comparatio æqualitatis, comparatio similitudinis. — Comparatio æqualitatis est comparatio in quantitate. — Comparatio similitudinis est comparatio in qualitate.

110. Complete, incomplete. — Complete dicitur de aliquo toto cui nihil deest. — Incomplete dicitur de aliquo cui deest aliquid ut sit totum.

111. Complexe, incomplexe. — Complexe dicitur de aliquo quod consideratur cum aliquo quod potest esse ejus attributum, uti homo doctus. — Incomplexe dicitur de aliquo quod, quamvis pluribus non coalescat, tamen

quoad etymologiam a pluribus derivet, uti vox philosophiæ dicitur incomplexe.

112. Compositio ex his, compositio cum his. — Compositio ex his est compositio ex materia et forma. — Compositio cum his est compositio ex essentia et existentia, seu ex esse et existentia.

113. Compositum reale, logicum, metaphysicum. — Vide totum reale..., etc...

114. Compositum essentiale, modale, integrale. — Vide *Totum essentiale...*, etc...

115. Comprehensio large sumpta, comprehensio stricte sumpta. — Comprehensio large sumpta est idem quam assecutio et obtentio rei quæ desideratur, licet tota non obtineatur, uti beati Deum comprehendunt. — Comprehensio stricte sumpta est idem ac inclusio entis in comprehendente, in quantum ens est comprehensibile.

115 *bis*. Concausa est causa alteri causæ unita ut simul effectum producant.

116. Conceptus formalis, conceptus objectivalis. — Conceptus formalis alicujus est

is qui explicat essentiam ejus, et in seipso format intellectus. — Conceptus objectivalis est id quod, ex parte rei, conceptui intellectus correspondet.

116 *bis*. Conceptus rei proprius ex propriis, conceptus proprius ex communibus. — Conceptus rei proprius ex propriis nempe attributis, est conceptio rei uti est in se, sine alicujus concursu, uti sunt omnes conceptiones sensibiles. — Conceptus proprius ex communibus, scilicet attributis, est conceptio rei per attributa communia, quatenus res quarum sunt conceptiones sub sensibus non cadunt.

117. Conceptus in, conceptus ad. — Conceptus in est terminus relationis consideratus in seipso. — Conceptus ad est terminus relationis consideratus ut habens ordinem ad alterum.

118. Concretum metaphysicum, physicum, logicum. — Concretum metaphysicum est concretum in quo determinato est aliquid intrinsecum et identicum cum ipsa realitate subjecti, uti homo respectu humanitatis. — Concretum physicum est concretum in quo determina-

tio est aliquida subjecto diversum, ulti albedo respectu hominis vel parietis. Concretum logicum est concretum in quo determinatio resultat a sola mentis cogitatione, uti cognitum quod recipit determinationem ab actu mentis.

119. Conformari alicui negative, conformari alicui positive. — Conformari alicui negative, id est, non agendo contra illud. — Conformari positive alicui, id est, agendo secundum illud.

120. Conformitas effectiva, formalis, materialis. — Conformitas effectiva dicitur de volitione creatae voluntatis objecti illius quod divina vult eam velle, licet ipsa forte aliud velit. — Conformitas formalis est creatae voluntatis volitio objecti ejusdem quod vult divina eademque sub ratione. — Conformitas materialis est volitio creatae voluntatis objecti ejusdem quod divina itidem vult.

121. Confuse distincte. — Confuse est cognoscere plura sed non unumquodque. — Distincte est cognoscere plura et unumquodque.

122. Connexe, disparate. — Connexe dicitur de his quorum unum infert alterum vel

excludit, uti homo respectu animalis. — Disparate dicitur de his quae non ligantur ad invicem neque deductione, neque repugnantia, uti sapiens niger.

123. Consecutive, formaliter. — Consecutive dicitur de aliquo quod alteri convenit, ut ejus proprietas. — Formaliter dicitur de aliquo quod convenit alteri essentialiter.

124. Considerare primario, considerare secundario. — Considerare primario dicitur, si in re considerantur attributa essentialia. — Considerare secundario dicitur, si in re consideratur aliquid non de essentia.

124 *bis*. Contactus suppositi, contactus virtutis. — Contactus suppositi est unio immediata agentis per suam essentiam rei quam ipsum producit. — Contactus virtutis est unio agentis rei quam ipsum producit per potentiam et virtutem ipsius agentis.

124 *ter*. Contactus physicus, contactus mathematicus. — Contactus physicus est actio reciproca duarum rerum sine alio intermedio. — Contactus mathematicus est absentia distantiae corporis ab alio, sive ipsa agant, sive non.

125. CONTINGENS AD UTRUMQUE. — Dicitur, id quod indifferenter uno vel altero modo potest accidere.

126. CONTINGENTER, ESSENTIALITER. — Contingenter est quod potest esse et non esse. — Essentialiter est quod ita est ut non possit non esse, sicuti Deus essentialiter existit.

127. CONTINERI FORMALITER, VIRTUALITER, EMINENTER. — Contineri formaliter, id est, quoad rationem suam formalem : v. g. calor in igne. — Contineri virtualiter quando unum habet virtute quidquid perfectionis est in re contenta; et dicitur habere virtute, vel quando potest producere rem quae dicitur contineri, ut effectus in causa, vel quando ex se solo praestare potest omnia quae praestare potest res contenta; sic calor formalis ignis continetur virtualiter in sole. — Contineri eminenter, quando unum continetur in alio perfectiori modo quam sit in seipso, vel quoad formam et dicitur eminenter formaliter, ut sensitivum in anima rationali, vel quoad virtutem et dicitur eminenter virtualiter, uti calor in sole.

127 *bis*. CONTINUUM, CONTIGUUM. — Continuum est totum cujus partes naturaliter

uniuntur.—Contiguum est totum cujus partes simultanee existunt in locis immediatis, sine confusione.

127 *ter*. CONTINUUM PERMANENS, CONTINUUM SUCCESSIVUM. — Continuum permanens est continuum cujus partes simultanee existunt. — Continuum successivum est continuum cujus partes transeunt et sibi succedunt sine interruptione, uti tempus et motus.

127 *quater*. CONTINUI PARTES ALIQUOTÆ, CONTINUI PARTES PROPORTIONALES. — Continui partes aliquotae sunt partes quae aliquoties repetitae toti aequivalent. — Continui partes proportionales est totum quod seriei subdivisionum subjicitur per quam ipsum totum augetur vel demitur proportionaliter.

128. CONTRADICTORIE, CONTRARIE, SUBCONTRARIE.—Contradictorie dicitur quando agitur de oppositione propositionum : opponitur contrarie et subcontrarie.—Contradictorie opponuntur propositiones quarum una est affirmativa et altera negativa, una universalis et una particularis, vel ambae singulares. — Contrarie opponuntur propositiones universales quarum una est negativa et altera affirmativa. — Sub-

contrarie opponuntur propositiones ambae particulares, quarum una est negativa et altera affirmativa.

128 *bis*. CONTRAHERE GENUS, CONTRAHERE SPECIEM. — Contrahere genus est determinare genus in certa specie, uti in homine contrahitur genus animalitatis. — Contrahere speciem est determinare speciem in individuo uti contrahitur species humanitatis in persona Petri.

129. CONTRADICTORIE, PRIVATIVE, NEGATIVE, CONTRARIE. — Contradictorie dicitur de oppositione rei ad non rem. — Privative dicitur de oppositione formae et ejus carentiae in subjecto illius formae capaci. — Negative dicitur de oppositione et ejus carentia in subjecto illius formae incapaci aut saltem forman non exigenti. — Contrarie dicitur de rebus quae se mutuo non compatiuntur in eodem subjecto.

130. CONTRARIA CONTRARIIS CURANTUR. — Scilicet : ut aliquid destruatur in subjecto, oportet ut ipsi objecto addatur aliquid contrarium, nam in hoc casu se mutuo expellunt.

131. CONTRARIORUM CONTRARIÆ SUNT CAUSÆ. —Hoc intelligitur de causis par se et non de causis per accidens vel liberis et significat opposita,, quia opposita requirunt virtutem dissimilem et oppositam sui productivam.

132. CONVENIENS, INCONVENIENS. — Conveniens est aliquid conforme naturae rei cui convenire dicitur. — Inconveniens est aliquid inconforme naturae rei cui non convenire dicitur.

133. CORPUS PHYSICE SUMPTUM, MATHEMATICE SUMPTUM.—Corpus physice sumptum est substantia corporea composita ex materia et forma. — Corpus mathematice sumptum est quantitas habens trinam dimensionem, in longum, in latum, in profundum.

134. CREATIO, EDUCTIO. — Creatio est productio totius entis ex nihilo. — Eductio est productio formae independenter a subjecto.

135. CREATIO ACTIVE SUMPTA, PASSIVE SUMPTA. — Creatio active sumpta denotat actionem divinam quae est ipsa essentia divina cum relatione rationis ad creaturas. — Creatio passive sumpta est relatio realis creaturae ad

Deum, cujus relationis creatura est terminus et subjectum in quo recipitur tum primum quum incipit esse.

D

136. De facto. — De facto valet a parte rei. — Vide *A parte rei.*

137. Definite, indefinite. — Definite sumitur propositio quae enuntiat universaliter, particulariter, singulariter.—Indefinite vel infinite sumitur propositio cujus subjectum non afficitur aliquo signo per quod solummodo propositio est universalis, particularis vel singularis.

138. Definitive. — Dicitur de decisione de aliqua re, cujus antea controversia aderat.

139. Demonstrative propter quid, demonstrative quia. — Demonstrative propter quid

est argumentum quod probat ex praemissis necessariis et evidentibus afferendo causam propriam, proximam et adaequatam rei demonstratae. — Demonstrative quia est argumentum quod assumit effectum ad probandam causam.

140. Demonstrative apriori, a posteriori. — Vide *A priori*.

141. Demonstrative ostensive, ad absurdum. — Demonstrative ostensive dicitur de omni demonstratione quae assignat quamcumque causam rei demonstratae. — Demonstrative ad absurdum dicitur de omni demonstratione quae probat quod causa non sit rei demonstratae sine contradictione.

142. Denominative. — Denominative dicitur de illis quae habent nomen diversum sòlo casu vocis ab aliqua forma, uti philosophus dicitur denominative a philosophia.

143. Denominative, per se. — Denominative dicitur de aliqua forma cui denominatio petita a forma tribuitur, quum formam tamen secundum se non habeat : v. g. totus homo dicitur videns denominative a visione

oculi. — Per se dicitur de aliquo quod habet immediate formam a quo caeterae denominantur : v. g. oculus per se videt.

144. De potentia absoluta. — Dicitur de illa cujus oppositum non implicat contradictionem : v. g. Deus de potentia absoluta annihilare posset omnes creaturas.

145. De potentia extraordinaria, ordinaria. — De potentia extraordinaria agit Deus quando operatur supra consuetum rerum ordinem et infinitam virtutem suam adhibet. — De potentia ordinaria agit Deus quando operatur juxta naturam rerum et leges ordinarias quas praescripsit ipse Deus in gubernatione rerum.

146. De primo, de secundo, de tertio adjacente. — De primo adjacente est propositio cujus omnes partes continentur una voce : v. g. scribo, quod aequivalet : Ego sum scribens. — De secundo adjacente est propositio cujus praedicatum et copula exprimuntur uno verbo : v. g. Deus est, quod aequivalet : Deus est existens. — De tertio adjacente est propositio cujus omnes partes exprimuntur explicite : v. g. Deus est existens.

147. Despotice, politice. — Despotice imperatur, quando obeditur pro libitu imperantis. — Politice imperatur, quando non obeditur jubenti ad nutum nisi congrue jubenti.

148. De subjecto non supponente dicitur de propositione in qua aliquid inexistens dicitur.

149. Differentia quantitativa, qualitativa. — Differentia quantitativa est quando aliquid differt secundum magis et minus in eodem ordine. — Differentia qualitativa est quando aliquid differet diversitate quae naturam ipsam attingit.

150. Diligere appretiative, intensive. — Diligere appretiative est diligere aliquem cum majori aestimatione. — Diligere intensive est velle amato bonum conatu majori.

151. Directive, coactive. — Directive aliquid fit quando fit per directionem potentiae tantum. — Coactive aliquid fit quando fit per vim externam vel internam quae necessitat ad id faciendum.

152. Directive, effective. — Diriguntur potentiae directive proponendo eis modos qui-

bus fieri debet aut potest. — Effective diriguntur potentiae efficiendo exterius quod interius concipitur.

153. Directe, indirecte. — Directe vel in se aliquid intenditur quod primario et ratione sui intenditur. — Indirecte vel in alio, sive in causa, aliquid intenditur quod censetur intendi ex eo quod aliud cui connectitur directe intenditur.

154 Directe, indirecte.— Directe praedicari dicitur quando attributio quae per praedicatum subjecto conceditur est aptior ad ipsum objectum. — Quando vero praedicatum non est aptius dicitur praedicari indirecte. Praedicatur directe quando dicitur : Homo est animal. Praedicatur indirecte quando dicitur : Animal est homo.

155. Directe, reductive. — Directe aliquid ad aliquid spectat, quod habet omnia necessaria requisita ut per se ad aliud spectet. — Reductive aliquid ad aliquid spectat, quod ad aliquid reducitur, eo quod aliquem respectum ad illud habet, ratione cujus aliquatenus spectare videtur.

156. Disjunctim, disjunctive. — Disjunctim sumitur vox communis pro aliquo suo significato indeterminato. — Disjunctive sumitur vox pro aliquo vel aliquibus tantum significatis determinatis ; sive disjunctive sumitur vox cujus significato enumerari debent per disjunctionem vel disjungentem integras propositiones. — Disjunctive sumitur praedicatum cujuscumque propositionis affirmativae, item subjectum cujuscumque propositionis particularis.

157. Dispositio directa, indirecta. — Dispositio directa est ad formam ejusdem speciei aut per se ei subordinatur. — Dispositio indirecta est per modum removentis prohibens.

158. Dispositio generaliter sumpta, particulariter sumpta. — Dispositio generaliter sumpta est omnis qualitas qua disponitur subjectum ad operandum operationes sibi debitas, sive sint perfectae, sive sint imperfectae. — Dispositio particulariter sumpta est omnis qualitas qua imperfecte disponitur subjectum ad operandum operationes sibi debitas, licet imperfectas.

159. Dispositive, formaliter. — Dispositive dicitur aliquid quod tantum habet dispositionem ad formam illius acquirendam. — Formaliter dicitur de aliquo quando spectatur secundum se et ratione sui.

160. Distincta seipsis primo. — Distincta seipsis primo sunt quae in nullo univoco conveniunt, uti Deus et materia prima.

161. Distinctio, identitas. — Distinctio est carentia identitatis, et consistit in eo quod unum non sit aliud. — Identitas est eorum quae sunt unum et idem.

162. Distinctio actualis formalis ex natura rei (seu distinctio scotistica), est distinctio quae est a parte rei ante omnem conceptum mentis, et quae non est inter quae propria gaudent existentia sed inter formalitates seu modos ejusdem rei, et resultat ex eo quod unum non sit de conceptu formali alterius.

163. Distinctio formalis, materialis. — Distinctio formalis seu quidditativa simpliciter est inter ea quae distinguuntur specie, ita ut sint eadem inter se realiter, quamvis intel-

lectus formet de illis diversos conceptus. — Distinctio materialis, seu numeralis, est inter ea quae distinguuntur numero.

164. Distinctio generica, specifica, numerica. — Distinctio generica est inter ea quae continentur sub diverso genere. — Distinctio specifica est inter ea quae continentur sub diversa specie, sive quae natura differunt. — Distinctio numerica est inter ea quae constituunt plura particularia.

165. Distinctio intransitiva, transitiva. — Distinctio intransitiva idem est ac distinctio rationis. — Distinctio transitiva adest si quid novi alteri superadditur.

166. Distinctio realis, rationis. — Distinctio realis est carentia identitatis quae datur a parte rei independenter ab intellectu. — Distinctio rationis est carentia identitatis sub conceptu tantum inter ea quae a parte rei non sunt distincta sed unum et idem.

167. Distinctio realis major vel absoluta, realis minor vel modalis. — Distinctio realis major vel absoluta, vel per modum excludentis et exclusi, vel simpliciter, dicitur si

existit inter entia perfecta quae ab invicem separantur vel separari possunt : v. g. inter Petrum et Paulum. — Distinctio realis dicitur minor vel modalis quae datur inter rem et ejus modum.

168. Distinctio rationis ratiocinantis, rationis ratiocinatæ. — Distinctio rationis ratiocinantis est distinctio quae fit sine fundamento in re : v. g. si distinguatur Tullius a Cicerone. — Distinctio rationis ratiocinatae est ipsa distinctio rationis quae fit cum fundamento in re.

169. Distinctio virtualis. — Est illa quae, quamvis sit indivisa, tamen multis aequivalet, unde distinctio virtualis potest vocari distinctio objectiva rationis ratiocinatae.

170. Diverso respectu, eodem respectu. — Diverso respectu aliquid consideratur, quando in eo varia considerantur. — Eodem respectu aliquid consideratur quando in eo varia non considerantur.

170 *bis*. Dividere genus aut speciem est idem ac contrahere genus vel speciem.

171. Divisio formalis, materialis. — Divisio formalis est quae fit per oppositas vel diversas formas et hanc sequitur multitudo, et est de transcendentibus secundum quod ens dividitur per unum et multa : invenitur tantum in immaterialibus. — Divisio materialis est ea quae fit per divisionem continui et hanc consequitur numerus, quae est species quantitatis : invenitur tantum in materialibus.

172. Duratio interna, externa. — Duratio interna est perseverans existentia rei. — Duratio externa est mensura perseverantis existentiae rei.

E

173. Eductio formæ e potentia materiæ. — Eductio formae et potentia materiae est productio formae dependenter a materia vel a subjecto eam sustentante.

174. Effective, objective. — Effective aliquid est si est principium suae operationis. — Objective aliquid est si in eo est aliquid quod moveat aliud ad agendum.

175. Effectus sunt suis causis proportionales. — In causis efficientibus valet, quatenus effectus actuales attribui nequeunt, nisi causis actualibus, potentiales potentialibus, particulares particularibus, universales universalibus, nam sicut effectus causarum efficientium sunt ordinati inter ipsos, ita causae efficientes sunt ordinatae inter ipsas et ad effectus : hic ordo vocatur proportio. — In causis formalibus et materialibus valet, quia sicut causae formales et materiales concurrunt ad efformandum unum compositum ex materia et forma, ita adesse debet proportio inter compositum et ipsam materiam et formam, quia forma non recipitur nisi in materia apta et disposita ad eam recipiendam. — In causis finalibus etiam valet, nam sicut effectus causae finalis est ipsa actio, ita adesse debet proportio cum sua causa, uti effectus causae efficientis est proportionalis suae causae, quia causae efficientes non agunt nisi motae a fine.

176. Effectus formalis. — Effectus formalis est effectus causae formalis.

177. Effectus primus formalis, secundus formalis. — Effectus formalis primus est concretum resultans ex forma et subjecto. — Effectus formalis secundus est quicumque effectus positivus vel negativus qui resultat ex unione formae cum subjecto, ita ut idem effectus distinguatur a forma.

178. Effectus formalis adæquatus, formalis inadæquatus. — Effectus formalis adaequatus est totum compositum ex materia recipiente formam et ex forma perficiente materiam. — Effectus formalis inadaequatus est ipsa materia uti perfecta per formam. — Effectus formalis materiae est ipsa forma uti recepta in materia.

179. Effectus positivus, negativus. — Effectus positivus est effectus proveniens ex unione formae cum subjecto dans aliquid realis ipsi unioni : v. g. ex unione aquae et caloris habetur aqua calida. — Effectus negativus est effectus resultans ex unione formae cum subjecto, aliquid destruens in

ipsa unione, uti in unione caloris cum aqua, habetur expulsio frigoris in aqua.

180. Ens distinguitur ab esse grammaticaliter. — Nam distinguitur sicut participium a verbo.

181. Ens naturæ, ens rationis. — Ens naturae, seu ens reale, est quod seclusa quacumque ratione intellectus sive quocumque collectivo cujuscumque potentiae sive intellectus, sive cujuscumque alterius potentiae existit. — Ens rationis est compositio vel divisio non existens in rebus sed in mente, uti sunt omnes ordines actuum rationis.

182. Ens nominaliter, ens participaliter. — Ens nominaliter seu quidditative vel intrinsece, significat essentiam ipsam vel esse. — Ens participaliter est ens existens.

183. Ens rationis, ens puræ rationis. — Ens rationis est quod habet esse objective tantum in intellectu, et dicitur etiam ens rationis fundatum, quia rationabiliter efformatur ab intellectu, uti sunt omnes actus recti intellectus. — Ens purae rationis, seu non fundatum, est ens quod intellectus fingit et

nullo modo existere potest quia semper est chimaericum, v. g. mons sine valle.

184. Ens subsistens completum, ens non subsistens completum. — Vide *Actus subsistens completus...*

185. Entitative, per ordinem. — Entitative aliquid est quod absolute quoad essentiam est tale. — Per ordinem aliquid est tale, si consideratur quoad relationem ad alterum.

186. Esse. — Esse vel valet quidditatem seu naturam rei, vel valet actum essentiae; v. g. vivere est esse viventibus; vel valet veritatem propositionis, sed in hoc casu praedicatur per accidens.

187. Esse est propter operari. — Significat quod omnis essentia est principium activum operationis rei, quia essentia ordinatur ad operationem sibi propriam et proportionatam.

188. Esse in actu formali, esse in actu virtuali. — Esse in actu formali valet aliquid se movere actualiter. — Esse in actu

virtualiter valet aliquid habere potentiam se movendi et non revera se movens.

189. Esse in actu virtualiter eminenter, esse in actu virtualiter potentialiter. — Esse in actu virtualiter eminenter dicitur, quando in actu seu forma superiori perfectius continet inferius. — Esse in actu virtualiter potentialiter dicitur aliquid, quando habet virtutem quae mota et excitata potest agere.

190. Esse per se. — Esse per se vel significat quod habet unicam essentiam, nec est per accidens, vel significat quod ita est per se ut non sit per aliud sed a seipso, uti est Deus; vel significat quod non existit uti pars in toto sed ipsum totum; vel significat quod existit uti suppositum, vel quod non inhaeret alteri tanquam subjecto.

191. Esse primum rei, esse non primum rei. — Esse primum rei valet instans intrinsecum inceptionis, id est, in quo jam est primo est, et quod res sit illo primo, cum non esset primo tempore praecedenti. — Esse non primum rei est instans extrinsecum desitionis, quia res in illo quidem non est am-

plius, sed primo, quia toto tempore praecedenti illud instans existebat, sed in illo instanti incipit primo non existere.

192. Esse primum, esse ultimum. — Esse primum est ipsa entitas rei considerata ut ens. — Esse ultimum rei est entitas rei considerata uti perfecta, unde est primum ens, addita bonitate.

193. Esse ultimum rei, esse non ultimum rei. — Esse ultimum rei valet instans desitionis, quia in illo quidem res adhuc solvatur, sed ultimo, ita ut toto tempore sequenti amplius non existat. — Ens non ultimum rei valet instans extrinsecum inceptionis, eo quod res in illo quidem nondum sit, sed toto tempore sequenti, post illud instans futura sit.

194. Esse signatum. — Esse signatum et necessitas essendi est quidditas entis quae ens individuat.

195. Essentia, quidditas, forma, natura. — Omnia haec quatuor valent illud per quod aliquid habet esse. — Dicitur quidditas, quia quod habet essentiam habet esse quid. —

Dicitur forma quia per formam significatur perfectio vel certitudo cujuscumque rei. — Dicitur natura quia principium est operationis.

196. Essentiæ rerum consistunt in indivisibili. — Id est, nullum praedicatum essentiale potest detrahi a rei essentia, vel illi addi, salva eadem essentia.

197. Essentialiter, accidentaliter. — Essentialiter praedicatum convenit subjecto, si subjectum sine praedicato nec est nec concipi potest. — Accidentaliter praedicatum convenit subjecto, si subjectum sine praedicato saltem concipi potest.

198. Essentialiter, participative. — Essentialiter aliquid est vel existit, si est vel existit vi suae essentiae. — Participative aliquid est vel existit, si est vel existit per participationem alterius.

199. Essentialiter, notionaliter, personaliter. — Essentialiter in divinis non importat habitudinem principii Verbi ad ipsum Verbum procedens, sed respicit naturam divinam. — Notionaliter in divinis importat

habitudinem principii unius personae ad ipsam personam. — Personaliter in divinis dicitur de eo quod procedit.

200. Etymologice. — Idem est ac secundum etymologiam nominis, id est, secundum significationem quae provenit per derivationem a primitivo vocabulo : v. g. theologia, Etymologice sumpta, idem est ac sermo de Deo.

201. Ex professo, incidenter. — Ex professo aliquid tractatur quod est principale objectum tractatus. — Incidenter aliquid tractatur de quo agitur occasione illius de quo tractatur ex professo : v. g. theologia ex professo tractat de Deo, de Dei attributis et de relationibus internis et externis, sed incidenter pertractat de aliquo quod artem ad medicam pertineat vel ad aliud aliquid.

202. Exclusive, inclusive. — Exclusive sumitur terminus durationis vel numeri, quando ipse terminus non mensuratur : v. g. ab uno ad quindecim exclusive significat quod mensurantur quatuordecim praeter decimum quintum. — Inclusive sumitur terminus durationis vel numeri quando ipse terminus com-

mensuratur : v. g. ab uno ad quindecim inclusive idem valet quam sumere tota quindecim.

203. Existere in actu exfrcito, existere in actu signato. — Existere in actu exercito idem est quam existere secundum realitatem. — Existere in actu signato idem est quam existere secundum conceptum essentialem.

204. Existere per se, existere per accidens. — Existere per se idem est ac existere essentialiter.—Existere per accidens idem est ac existere contingenter.

205. Explicite sive expresse, implicite. — Explicite aliquid dicitur quod significatur verbis expressis. — Implicite significatur quod continetur in dicto explicite : v. g. Petrus est homo. Explicite designatur quod Petrus est homo, sed implicite declaratur eum esse animal, substantiam...

206. Explicite, tacite.—Explicite aliquis vult aliquid quando aliquo signo significativo quod vult exprimit. — Tacite seu implicite aliquis vult aliquid quando ex aliquo facto vel ex ejus omissione quid velit censetur.

207. Extensive, intensive. — Extensive idem est ac quoad plures partes, quoad magis diuturnum tempus. — Intensive idem est ac quoad plures gradus in una parte simili spatio temporis : v. g. paries est extensive albus, si est albus majori extensione alio pariete albo ; est intensive albus, si est dealbatus albedine magis alba quam albedo alterius parietis.

208. Extra dictionem, in dictione. — Extra dictionem dicitur de fallaciis quae proveniunt ex parte rei. — In dictione dicitur de fallaciis quae proveniunt ex parte vocis.

209. Extrinsece sive externe, intrinsece sive interne. — Extrinsece alicui advenit quod accidentaliter ei convenit. — Intrinsece aliquid dicitur quod est tale vi suae essentiae.

210. Extrinsece, intrinsece. — Extrinsece affici ad aliud idem valet quam ita uniri alicui ut non praevaleat illud intime. — Intrinsece affici alicui est si praevalet intime.

211. Extrinsece probabile, intrinsece probabile. — Extrinsece probabile est aliquid opinativum quod probatur per auctoritatem.

— Intrinsece probabile est aliquid opinativum quod probatur per rationem.

F

212. Fieri secundum rem, fieri secundum rationem. — Fieri secundum rem valet aliquid fieri ex contrario, uti ex nigro fit album, vel ex negatione et privatione, uti ex non lucente fit lucens et non figurato fit figuratum.—Fieri secundum rationem est quando advenit aliqua habitudo quae nullo modo mutat subjectum : v. g. Deus factus est nobis refugium.

213. Fieri et factum esse differunt ratione, si fieri accipitur pro terminatione motus; differunt realiter, si fieri accipitur pro ipso motu, quia fieri est tempore prius quam factum esse.

214. Finaliter, efficienter. — Finaliter causat, quod causat ad modum finis. — Effi-

cienter causat quod causat ad modum causae efficientis.

214 *bis*. Finalizatio est motivum quod movet subjectum agens ad agendum.

215. Finis, finis cujus, finis cui. — Finis est id cujus gratia aliquid fit. — Finis cujus est res quae appetitur. — Finis cui est is cui finis cujus gratia desideratur.

216. Finis est causa causarum. — Valet, quia intentio finis obtinendi movet alias causas ad operandum pro fine obtinendo : v. g. uti Lutetia videnda movet ad omnia itineris media.

217. Finis naturalis, supernaturalis. — Finis naturalis esse ille quem res creata potest attingere secundum virtutem suae naturae. — Finis supernaturalis est ille qui excedit proportionem naturae creatae et facultatem et hic est vita aeterna.

218. Finis operis, finis operantis. — Finis operis est ille ad quem ex natura sua tendit opus, — vel est ille ad quem opus ordinatur ab agente. — Finis operantis est ille quem ad

libitum constituit sibi operans, — vel est ille ad quem principaliter operans intendit.

218. *bis*. FINIS PRINCIPALIS, SECUNDARIUS. — Finis principalis est ille qui primo intenditur et per se.—Finis secundarius vel est dispositivus ad primarium, vel est accessorius quatenus non intentus uti principalis.

219. FINIS PROXIMUS, REMOTUS. — Finis proximus est ille qui appetitur, nullo alio fine interposito. — Finis remotus est ille qui appetitur, alio vel aliis finibus interpositis.

220. FINIS QUI, FINIS QUO. — Finis qui, seu objectivus, seu exterior est res seu objectum quod assequi desideratur. — Finis quo vel formalis seu interior est assecutio vel possessio finis qui.

221. FINIS ULTIMUS, INTERMEDIUS, ULTIMATUS. — Finis ultimus est ille qui nullius alterius gratia appetitur; et cujus gratia alii appetuntur. — Finis intermedius est ille qui ratione sui appetitur, sed cum relatione et dependentia a fine ultimo. — Finis ultimatus est is qui ita intenditur ut ulterius non referatur.

222. Finis ultimus formaliter, finis ultimus materialiter. — Finis ultimus formaliter est finis in communi et abstracto, quicumque ille sit. — Finis ultimus materialiter est res particularis in qua quis existimat suum finem ultimum.

223. Finitanter, infinitanter. — Finitanter sumitur vox cui non praefigitur particula « non, » v. g. homo. — Infinitanter sumitur vox cui « non » praefigitur : non homo.

224. Forma, materia. — Forma est id quo materia est id quod est, seu est id quod dat esse materiae. — Materia est potentia essendi simpliciter per suam formam.

225. Forma est aliqua similitudo primi principii. — Quod est actus purus.

226. Forma valet significatum terminorum objectivorum : paternitas est forma patris.

227. Forma extrinseca seu exemplaris, forma intrinseca. — Forma extrinseca est illa quam res imitatur, ut idea concepta in mente artificis. — Forma intrinseca est illa quae rem

in suo esse constituit, ut anima humana respectu corporis.

227 *bis*. Forma informans, subsistens. — Forma informans est illa quae in aliquo subjecto recipitur, uti forma equi quae recipitur in ejus materia. — Forma subsistens est illa quae per se subsistit, absque eo quod sit in aliquo subjecto, v. g. angeli.

228. Forma informans substantialis, informans accidentalis. — Forma informans substantialis est illa quae constituit substantiam in suo esse, seu id quod dat esse simpliciter. — Forma informans accidentalis est illa quae supervenit rei, jam in suo esse substantiali constitutae, et ipsi tribuit esse aliquid secundum quid, id est secundarium : fortitudo, v. g. quae supervenit equo jam constituto.

229. Forma resultans, forma assistens.— Forma resultans est totius compositi forma : v. g. humanitas quae est forma totius hominis. — Forma assistens est forma quae rei pars non est sed est supra rem uti eam moveat, v. g. angeli.

230. Formale. — Est ratio definitiva vel quidditativa alicujus rei, id est, constitutivum rei in sua specie.

231. Formale, materiale. — Formale actionis dicitur id quod in actionibus est ex parte agentis. — Id quod est ex parte patientis vel recipientis dicitur materiale actionis.

232. Formale specificativum, numericum. —Formale specificativum est ratio quae in objecto dat speciem : v. g. coloratum lucidum est formale specificativum respectu visus. — Formale numericum est ratio quae dat numerum in objectis ejusdem speciei : v. g. corpora sunt formalia numerica respectu hominum.

233. Formalitas. — Est omnis ratio qua concipitur aliquid, uti formalitas substantiae est non esse in subjecto : formalitas accidentis est esse in subjecto.

234. Formalitas rei, materialitas rei. — Formalitas rei est id quod tenetur ex parte praedicati. — Materialitas rei est id quod tenetur ex parte subjecti.

235. Formaliter, æquivalenter. — Formaliter aliquid consideratur, dum spectatur secundum se et ratione sui. — Æquivalenter est id quod valet idem quam alterum, sive hoc alterum sit multiplex, sive sit unum.

236. Formaliter, concomitanter. — Formaliter dicitur si aliquid consideratur secundum se. — Concomitanter se habent ea quorum unum ex altero profluit ; ita tamen conjungantur ut mutuam existentiam exigant.

237. Formaliter, eminenter, virtualiter. — Formaliter dicitur tale quod habet propriam illius formam : v. g. ignis est formaliter calidus. — Eminenter dicitur tale quod propriam illius formam non habet, omnem tamen illius formae perfectionem continet in alia perfectione praestantiori : aurum est eminenter argentum. — Virtualiter idem est ac secundum virtutem.

238. Formaliter, entitative. — Formaliter idem est ac reduplicative. — Entitative idem est ac specificative.

239. Formaliter, materialiter. — Formaliter aliquid spectatur, si spectatur quoad

ejus formam. — Materialiter, si spectatur quoad ejus materiam.

240. Formaliter, materialiter. — Formaliter sumitur vox alicujus propositionis quando ratio cur praedicatum subjecto conveniat in ipso subjecto continetur. — Materialiter sumitur subjectum alicujus propositionis, quando, quamvis praedicatum subjecto conveniat, tamen ratio hujus convenientiae non continetur in ipso subjecto : medicus canit.

241. Formaliter, materialiter. — Formaliter sumitur vox pro suo significato. — Materialiter sumitur vox pro syllabis et litteris.

242. Formaliter, fundamentaliter seu radicaliter. — Formaliter aliquid spectatur in se non spectando originem et causam : arbor est formaliter arbor. — Fundamentaliter aliquid spectatur in sua causa et origine : semen est radicaliter arbor.

243. Formaliter seu in sensu formali, materaliter seu in sensu identico. — Formaliter aliqua propositio est vera cujus praedicatum secundum se totum et modum significan-

di, convenit subjecto, seu quando praedicatum et subjectum idem et eodem modo significant. — Materialiter aliqua propositio est vera cujus praedicatum et subjectum eamdem rem significant, sed non eodem modo : justitia Dei et misericordia Dei.

244. Formaliter, in causa. — Formaliter sive in se existit quod existit in propria natura. — In causa existunt, si existunt in potentia activa : uti nascituri qui in causa existunt, scilicet in parentibus.

245. Formaliter, in causa. — Formaliter, id est, directe. — In causa, id est, indirecte.

246. Formaliter, seu logice, seu metaphysice. — Realiter seu physice. — Formaliter idem est quam dependenter ab intellectu. — Realiter idem est quam a parte rei.

247. Formaliter, objective. — Formaliter est aliquid, si existit in se et extra causas : Petrus formaliter existit. — Objective aliquid est si existit in cognoscen-

te, sive quod existit per modum objecti cogniti.

248. Formaliter, objective.—Formaliter aliquid alteri existit, si ipsi alteri per seipsum a parte rei inest : intellectio per quam intelligitur aliquod objectum est formaliter in intellectu. — Objective aliquid inest alteri si inest per modum objecti et tantum per imaginem : objectum cognitum est objective in intellectu.

249. Futurum, existens. — Futurum est quod est determinatum in suis causis ad habendam existentiam in tempore sequenti. —Existens est quod est determinatum ab existentia reali quocumque modo.

250. Futurum necessarium, futurum contingens proprie, contingens improprie. — Futurum necessarium est quod ex natura sua petit aliquando esse, nec est natura sua impedibile, uti crastinus ortus solis.—Futurum contingens proprie est, si ex natura sua indifferens ad esse et non esse : omnia (v. g.) quae pendent ex libero arbitrio. — Futurum contingens improprie est, si ex natura sua petit aliquando esse, sed ex concursu aliarum cau-

sarum est naturaliter impedibile : vita longaeva (v. g.) quae pendet ex temperamento robusto.

251. Futurum contingens proprie absolutum, proprie conditionatum. — Futurum contingens proprie absolutum est, si non pendet ab aliqua conditione, nisi a conditione ponenda dependeat ; nam si conditio est ponenda licet apparenter et quoad modum sit futurum conditionatum, est revera abstractum : conversio Petri si Christus ipsum respiciat.—Futurum contingens proprie conditionatum si dependet a conditione non ponenda : conversio Tyri et Sidonis si annuntietur eis Evangelium.

252. Futurum conditionatum pertinens, impertinens. — Futurum conditionatum pertinens est, si habet connexionem quamdam sive moralem, sive physicam cum conditione : v. g. salus Judae si pœnitentiam agat. — Futurum conditionatum impertinens sive disparatum, si nullam habet connexionem cum conditione : si capra saltet, arbor florebit.

253. Futurum conditionatum illatum, futurum conditionatum enuntiative. — Futurum

conditionatum illatum aequivalet voci : Ergo; unde explicat connexionem antecedentis cum consequente.—Futurum conditionatum enuntiative importat coexistentiam extremorum propositionis futuri conditionati.

G

253 *bis.* Generatio conversiva, generatio mutativa. — Generatio conversiva est transitio subjecti ab una forma ad aliam. — Generatio mutativa est transitio subjecti de negativo in positivum; uti cœlum quod ex obscuro fit serenum.

253 *ter.* Generatio pura, vel simplex, vel præcisiva est generatio qua producitur corpus ex materia creata quae aliam formam ante non accepit.

H

254. Habere se ad utrumlibet. — Id est se habere ad esse et ad non esse.

255. Habitudo. — Habitudo est aptitudo, relatio seu, respectus, capacitas ad aliud.

256. Habitus infusus, acquisitus. — Habitus infusus per se est qualitas quae dat posse simpliciter, quia potentiam elevat ad actus quos ipsa propriis natura viribus assequi non valet : v. g. habitus fidei, charitatis. — Habitus acquisitus est qualitas quae comparatur repetitione actuum et dat tantum facile posse, quia dat potentiae tantum ut minori conatu eliciat actus quos elicere posset etiam sine habitu : v. g. actus legendi, scribendi.... Habitus infusus praecedit omnem actum et habitus acquisitus succedit repetitioni actuum.

257. Habitus, actus. — Habitus uti qualitas est ipse actus primus vel potentia ad agendum. — Actus est ipsa operatio vel actus secundus.

258. Habitus, dispositio. — Habitus est qualitas difficile mobilis, determinans subjectum ut bene vel male se habeat. — Dispositio est qualitas facile mobilis, determinans subjectum ut bene vel male se habeat.

259. Habitus entitativus, operativus.— Habitus entitativus est qualitas quae determinat subjectum ad bene vel male essendum. — Habitus operativus est qualitas quae determinat subjectum ad bene vel male operandum.

260. Habitus moralis, naturalis, supernaturalis. — Habitus moralis est qualitas superveniens quae dirigit ad finem omnes actus, uti sunt omnes virtutes morales. — Habitus naturalis est ipse habitus acquisitus. — Habitus supernaturalis est ipse habitus infusus.

261. Habitus ordinatur ad actum secundum quod dicit habitudinem. — Nam est proprium habitus ut importet habitudinem quamdam in ordine ad naturam rei secundum quod convenit vel non convenit.

262. Habitus repræsentativus, innatus. — Habitus repraesentativus est qualitas superveniens quae tantum aliquid repraesentat, uti sunt omnes species intelligibiles quae repraesentant res intelligibiles et scibiles. — Habitus innatus, qui dicitur etiam habitus naturalis, est qualitas quae, quamvis non

excedat vires naturales potentiae cui supervenit, tamen acquisitus non fuit.

263. Habitus speculativus, practicus. — Habitus speculativus est quaelibet qualitas quae intellectum illustrare potest et haec triplex est : sapientia, scientia et ipse intellectus. — Habitus practicus est qualitas quae supervenit ut arte facta dirigat, ut sunt omnes artes.

264. Habitus ut principium ordinatur ad operationem. — Intelligendum est de habitu qui est uti subjectum alicujus potentiae ; unde sicut habitus habet habitudinem ad naturam rei, ita habet habitudinem ad operationem, quia per operationem pervenit ad naturam rei, et natura rei tendit ad alium ad quem pervenire nequit sine operatione.

265. Habitus est quædam actio habentis et habiti. — Intelligitur hoc in eo sensu quod habens non sit ad habitum per actionem vel passionem, sed tantum per modum actionis vel passionis, ut (v. g.) aliquid est ornans et aliquid ornatum.

266. Hæccitas. — Haeccitas est principium individuationis, juxta Scotistas, et significat vel differentiam numericam, quia unum scilicet differt ab alio, vel significat quamcumque entitatem supervenientem naturae, ut faciat individuum, et in scholis particulare in abstracto designat.

267. Hoc aliquid primo modo, hoc aliquid secundo modo. — Hoc aliquid primo modo est quodcumque subsistens; unde excludit inhaerentiam accidentis et formae materialis; unde anima humana, quum sit pars speciei humanae, potest dici : hoc aliquid primo modo. — Hoc aliquid secundo modo est omne subsistens completum in natura alicujus speciei, unde excludit imperfectionem partis : v. g. compositum ex anima et corpore est aliquid secundo modo.

268. Hypostatice. — Hypostatice, ab ὑποστασις, significat individuum quodcumque substantiae, quatenus supponitur accidentibus; sed communiter accipitur pro individuo naturae rationalis propter suam excellentiam; nunc vero tribuitur unioni personae divinae cum natura humana.

I

269. IDEA. — Idea dicitur exemplar prout est principium factionis rerum; unde pertinet ad cognitionem practicam. — Idea est ratio, prout est principium cognoscitivum.

270. IDEM. — Idem valet unitatem in substantia; unde una substantia potest dici eadem.

271. IDEM MASCULINE, NEUTRALITER. — Idem masculine dicitur, si refertur ad unitatem suppositi. — Idem neutraliter, si refertur ad unitatem essentiae.

272. IDEM SEMPER FACIT IDEM. — Intelligitur secundum propriam rationem qua agens determinate producit effectum.

273. IDEM SECUNDUM, IDEM NON POTEST ESSE AGENS ET PATIENS. — Nam aliquod subjectum

determinatum nequit esse, eodem tempore, circa eamdem operationem, causa et effectus; quod eveniret, si esset agens et patiens circa idem.

274. Identitas, alietas. — Identitas dicitur de his quae sunt non diversa sed unum et idem. — Alietas dicitur de his quae sunt diversa et sonat idem ac abstractum alterius, seu abstractum non ejusdem.

275. Identitas realis, rationis. — Identitas realis est ea quae convenit rebus, independenter ab intellectu. — Identitas rationis est ea quae provenit a certo actu rationis, vel in actu rationis consistit. (Vid. *Distinctio.*)

276. Ignoti nulla cupido. — Illud axioma valet quod voluntas non potest velle sine actu præcedenti cognitionis intellectus, quia voluntas est potentia cœca.

277. Illud propter quod unumquodque tale et illud magis per se. — Id est : illud propter quod aliquid est id quod est, est notius, nobilius, fortius altero.

278. Imago, idolum. — Imago est vera similitudo rei. — Idolum est falsa similitudo rei.

279. Imago, similitudo. — Imago valet talem similitudinem quae ad repraesentandum est expressa. — Similitudo valet relationem inter duo, ratione alicujus convenientiae.

280. Immanens vel ad intra, transiens vel ad extra. — Actio est immanens quando effectus ejus manet in agente. — Actio transiens dicitur quando producit effectum in alio subjecto extra ipsum agens.

281. Immanens formaliter, transiens virtualiter. — Immanens formaliter est actio immanens si ita maneat in agente ut nihil extra producat, uti intellectio, volitio. — Transiens virtualiter est ipsa actio immanens si ita maneat in agente, ut nihilominus aliquid producat extra ipsum agens, uti actio animae ad movenda externa corpora.

282. Immediate sive proxime, mediate sive remote. — Immediate, id est, nullo mediante in eodem genere. — Mediate, id est, aliquo mediante in eodem genere.

283. Immediatio virtutis, immediatio suppositi. — Immediatio virtutis est quod procedit per se et directe ex virtute. — Immediatio suppositi est quod procedit per se et directe ex supposito. — Contrarium vero appellatur mediatio virtutis, mediatio suppositi.

284. Immensitas, ubiquitas. — Immensitas valet aptitudinem existendi in omnibus rebus. — Ubiquitas valet actualem existentiam in omnibus rebus.

285. Impossibile, possibile. — Impossibile est id cui repugnat ratio entis. — Possibile est cui non repugnat ratio entis.

286. Impossibile absolutum, possibile absolutum. — Impossibile absolutum seu intrinsecum est id cui etiam virtute divina repugnat ratio entis : v. g. circulus quadratus. — Possibile absolutum est id cui non repugnat ratio entis : circulus rotundus.

287. Impossibile relativum, possibile relativum. — Impossibile relativum seu extrinsecum est id cui repugnat ratio entis relative ad aliquam potentiam. — Possibile relativum

est id cui non repugnat ratio entis relative ad aliquam potentiam.

288. IMPOSSIBILE EXTRINSECUM MORALE, POSSIBILE EXTRINSECUM MORALE. — Impossibile extrinsecum morale est si repugnat ratio entis relative ad regulas prudentiae. — Possibile extrinsecum morale, si non repugnat ratio entis relative ad easdem regulas.

289. IMPOSSIBILE EXTRINSECUM PHYSICUM, POSSIBILE EXTRINSECUM PHYSICUM. — Impossibile extrinsecum physicum dicitur id cui repugnat ratio entis relative ad leges naturae a Deo statutas. — Si non repugnat, dicitur possibile physicum extrinsecum.

290. IMPOSSIBILE EXTRINSECUM HYPOTHETICUM, POSSIBILE EXTRINSECUM HYPOTHETICUM.— Impossibile extrinsecum hypotheticum est si repugnat ei ratio entis, aliqua hypothesi facta. — Contrarium dicitur possibile extrinsecum hypotheticum.

290 *bis*. Impraescindibiliter est cum aliquod concipi nequit sine alio.

291. IMPROPRIE, PROPRIE. — Improprie valet metaphorice, id est, quando per analo-

giam aptatur voci significatio quae alteri convenit. — Proprie, quando vox sumitur secundun suam significationem.

292. Impulsive, primario. — Impulsive movet ad agendum, quando agens quidem operaretur, sed non ita expedite. — Primario movet ad agendum sine quo actio non ponetur.

293. In alio, per se. —In alio est ens quod naturaliter exigit inesse in aliqua substantia uti in subjecto, uti sunt omnia accidentia. — Per se est ens quod non exigit inesse in alio uti in subjecto.

294. In aliquo genere causæ, in diverso genere causæ (v. g.) efficientis. — Dicitur aliquid esse in diverso genere causae efficientis quod non est causa istius speciei, sed accipit causalitatem ab alia causa. — Aliquid dicitur esse in aliquo genere causae efficientis quod est causa istius speciei.

295. In facto esse, in fieri. — In facto est aliquid quod ex parte rei est extra causas. — In fieri est quod fit aut adhuc est in causa ut fiat.

296. In genere, in specie, in individuo. — In genere, id est, si aliquid consideratur, non considerando neque species, neque individua sub illo contenta. — In specie, si consideratur aliquid, non considerando individua sub illo contenta. — In individuo, si aliquid consideratur secundum suum esse singulare et tantum uni rei proprium.

297. In indivisibili consistere, suscipere magis et minus. — Aliquid consistit in indivisibili cui nihil addi vel demi potest, quin mutetur quoad essentiam. — Suscipere magis et minus dicitur de aliquo quod accipere potest magis et minus sine mutatione propriae essentiae.

298. In negativo, in positivo. — In negativo aliquid consistit quod consistit in carentia alicujus formae. — In positivo consistit quod consistit et constituitur per aliquod reale et propriam formam.

299. In obliquo, in recto. — In obliquo idem est ac in alio casu quam in nominativo: v. g. album in obliquo dicit albedinem, quatenus dici nequit : album est albedo. — In

recto, id est, in casu nominativo : v. g. album in recto dicit rem quae habet albedinem.

300. In potentia esse ad aliquid, potentiam esse ad aliquid. — In potentia esse ad aliquid est posse recipere, vel agere, quod necdum agit vel recipit : v. g. aqua est in potentia ad calorem. — Potentiam esse ad aliquid est quod non exigit quod recipiat vel agat quod recipere vel agere potest : v. g. aqua calida retinet potentiam ad calorem.

301. In quid complete, in quid incomplete. — In quid complete dicitur de specie, quia species exprimit totam essentiam rei. — In quid incomplete dicitur de genere, quia genus, quamvis exprimat essentiam rei, non exprimit tamen totam essentiam rei.

302. In quale quid, in quale quid necessario, in quale quid contingenter. — In quale quid dicitur de differentia, quia differentiae non praedicantur de speciebus substantive, uti genus, sed adjective; unde dicitur : homo est rationalis et non rationalitas. — In quale quid necessario dicitur de proprio quarto modo, quia proprium necessarium consequitur essentiam jam consecutam (vide

Proprium). — In quale quid contingenter dicitur de accidente logico, quia potest esse vel abesse, quin auferatur ab ipsa re aliquid essentialis.

303. In sensu causali, formali, concon-nitativo. — In sensu causali est aliquid quod est causa alterius. — In sensu formali est aliquid, quando praedicatum in se spectatum idem est cum subjecto. — In sensu concon-nitativo est aliquid, quando alteri jungitur.

304. In sensu composito, diviso.—In sensu composito vera est propositio, quando id quod significatur per praedicatum et subjectum potest eodem tempore simul consistere in eodem : v. g. sedens et studens. — In sensu diviso vera est propositio, quando id quod significatur per praedicatum et subjectum nequit eodem tempore in eodem consistere, sed potest diverso tempore : unde in sensu diviso vera est propositio : qui sedet est stans.

305. Indefinite, definite. — Indefinite valet indeterminate. — Definite dicitur de aliqua propositione quae determinate exprimit ejus universalitatem vel particularitatem vel singularitatem.

306. Infinitum, finitum. — Infinitum est quod finibus caret. — Finitum est quod habet fines.

307. Infinitum positivum, negativum. — Infinitum positivum est quod non modo limites non includit, sed etiam eas excludit. — Infinitum negativum est quod nec includit nec excludit limites.

308. Infinitum privative, negative. — Infinitum privative dicitur ens spirituale propter remotionem formae in quantitatibus, quatenus limites auferuntur. — Infinitum negative dicitur de forma vel actu non limitatis per materiam vel subjectum in quo recipiuntur.

309. Infinitum ex parte formæ, ex parte materiæ. — Infinitum ex parte formae dicitur quod est maxime formale subsistens et irreceptum, uti Deus. — Infinitum ex parte materiae, id est, ex parte quantitatis et est in actu et in potentia.

310. Infinitum categorematicum, syncategorematicum. — Infinitum categorematicum valet infinitum in actu, seu positive; est id quod secundum id quod habet nullis finitur

terminis : Deus est actus infinitus.—Infinitum syncategorematicum valet infinitum in potentia, seu negative, est id quod, quamvis secundum id quod habet, claudatur terminis; attamen, secundum id quod habere potest, nullos limites agnoscit : v. g. numerus est infinitus in potentia, quamvis finitus in actu.

311. Infinitum simpliciter. — Vel valet infinitum omnimode, vel infinitum, quatenus sit sine diminutione quamvis non omnimode : v. g. linea infinita versus occidentem.

312. Infiniti ad finitum non est proportio. — Significat quod rationes et proportiones finiti nihil valeant ad conceptionem infiniti, quia conceptio infiniti est valde diversa a conceptione finiti ; unde formandus est alius conceptus.

313. Influere positive, negative. — Influere positive dicitur, si quid influit in aliud realiter ad aliquid faciendum. — Influere negative dicitur, si influit non faciendo quod facere deberet.

314. Instantanee, successive. — Instantanee fit quod fit unico momento.—Successive fit

quod fit pluribus momentis aut pluribus actibus, sive invicem succedentibus.

315. Instanti rationis, instanti reali. — Instanti rationis idem est quam momento temporis secundum nostrum concipiendi modum. —Sic actus intellectus divini praecedunt actus voluntatis divinae. — Instanti reali idem est quam in vero momento temporis.

316. Instans differt a tempore ratione. —Quia sicut tempus respondet motui, et nunc temporis vel instans respondet mobili, ita mobile differt tantum a ratione cum toto decursu temporis, in quantum est hic et ibi, et ista alternatio est motus.

317. Instrumentaliter, principaliter. — Instrumentaliter aliquid agit, quod est instrumentum alterius actionis.—Principaliter agit quod agit virtute propria et non per instrumentum.

318. Instrumentum quo, instrumentum quod. — Instrumentum quo est ipsa virtus instrumentalis quae vel est in causa principali tanquam accidens, vel derivatur ab ipsa causa principali in instrumentum. — Instrumentum

quod est ipsum suppositum agens et serviens alteri.

319. Instrumentum, medium. — Instrumentum est quod agit in virtute alterius, sed habet virtutem sibi propriam activam. — Medium est quod defert alterius virtutem, sed nihil ex se agit.

320. Instrumentum animatum, inanimatum. — Instrumentum animatum est illud quod non solum movetur, sed etiam quodammodo movet seipsum in quantum sua voluntate movet membra ad operandum. — Instrumentum inanimatum illud est quod est carens vita; unde non habet aliquam intentionem, respectu effectus, sed loco intentionis, ut motus qui movetur a principali agente.

321. Instrumentum conjunctum, separatum. — Instrumentum conjunctum est illud quod est naturaliter unitum causae principali: manus. — Instrumentum separatum est illud quod non est naturaliter unitum causae principali: v. g. baculus.

322. Instrumentum morale, naturale, artificiale. — Instrumentum morale est quod

agit virtute alterius sed alliciendo et excitando. — Instrumentum naturale est quod habet vi naturae aliquam actionem, uti semen a planta recisum. — Instrumentum artificiale est quod agit per artem virtute alterius, ut calamus.

323. Intellectus de uno facit duo. — Id est, in propositionibus identicis subjectum est distinctum ratione ratiocinanti a seipso, quatenus praecedit copulam illamque consequitur.

324. Intellectus percipiens simpliciter, intellectus componens vel dividens. — Intellectus percipiens simpliciter est quando apprehendit veritatem actu directo et absque discursu, sine affirmatione et sine negatione. — Intellectus componens vel dividens est quando judicat pronuntiando convenientiam vel repugnantiam ideae subjecti cum idea praedicati.

325. Intellectus primo modo, secundo modo. — Intellectus primo modo est quando intellectus apprehendit quidditatem rei ex vi suae naturae quae est « intus legere. »—Intellectus secundo modo dicitur, quando se exten-

dit ad omnes operationes et comprehendit judicium et ratiocinium.

326. Intellectus agens, patiens seu passibilis. — Intellectus agens est facultas animae distincta ab ipso intellectu, quae facit intelligibilia in actu per abstractionem quidditatum seu specierum a conditionibus materialibus. — Intellectus patiens seu passibilis est facultas animae non distincta a memoria intellectiva, nec a ratione, nec ab intelligentia, quae recipit ipsas species intelligibiles per intellectum agentem abstractas.

327. Intellectus practicus, speculativus.—Intellectus practicus est ipse intellectus patiens, quatenus ordinat ad opus quae apprehendit. — Intellectus speculativus est ipse intellectus patiens, quatenus apprehendit tantummodo objecta.

328. Intelligibile habituale, relatum, actuale. — Intelligibile habituale est intelligibile quod est in actu, secundum memoriam intellectivam. — Intelligibile relatum est illud quod est in intellectu, habens necessario aliquam relationem ad aliud intelligibile. — Intelligibile actuale est illud quod est

in actu, consideratum per conceptum in intellectu.

329. INTENSE, REMISSE. — Intense aliquid habet formam, quum magnopere participat de illa forma : aqua ebulliens intense est calida. — Remisse aliquid habet formam, quum tenuiter tantum participat de ipsa forma : aqua tepida remisse est calida.

330. INTENTIO FORMALITER, VIRTUALITER, INTERPRETATIVE, HABITUALITER. — Intentio formaliter est quando intenditur aliquid expresse. — Intentio virtualiter est quando intenditur ob intentionem anteactam non retractatam, et dicitur virtualiter primo modo; vel quando fit aliquid quod ex se tendit ad aliquem finem, et dicitur secundo modo. — Intentio interpretative est quando ex dispositione et modo operandi subjecti, judicatur et praesumitur aliquem sic volituram si adverteret vel casus occurreret. — Intentio habitualiter est quando aliquid intenditur ob puram concomitantiam habitus alicujus cum actu absque ul'o influxu sive actuali, sive virtuali, in actum.

331. Intentio voluntatis, intentio logica. — Intentio voluntatis est actus voluntatis finem appetentis. — Intentio logica est conceptus et consideratio mentis quae intendit se quodammodo erga objectum quod contemplatur.

332. Intentio prima, secunda. — Intentio prima est actus intellectus se ferens in objectum extra animam et dicitur etiam actus directus. — Intentio secunda est actus intellectus quando reflectitur supra seipsum intelligens se intelligere objectum quod ante primam intentionem erat extra se, et dicitur etiam actus reflexus.

333. Intentio prima naturæ, secunda naturæ. — Intentio prima naturae est ipsa generatio. — Intentio secunda naturae est actus formalis generationis.

334. Intentio objectiva, subjectiva. — Intentio objectiva sunt ipsae relationes logicae quae objiciuntur reflexioni mentis ad considerandum objectum. — Intentio subjectiva est actus mentis considerans relationes logicas quae repraesentantur per objectum.

335. Intentionaliter primo, secundo. — Intentionaliter primo idem est ac personaliter, et significat quando vox accipitur pro significato quod habet a parte rei, independenter a conceptione mentis. — Intentionaliter secundo idem est quam simpliciter, et significat quando vox accipitur secundum ea quae ipsis conveniunt per mentis operationem.

336. — Intransitive, positive. — Intransitive sumitur vox quae non significat aliquid distinctum ab eo cui tribuitur. — Transitive sumitur vox quae significat aliquid distinctum ab eo cui tribuitur.

337. Involuntarium, non voluntarium.— Involuntarium est quod contrariatur ei quod fit. — Non voluntarium dicitur per solam remotionem actus voluntatis.

338. Justitia commutativa, distributiva, legalis seu generalis. — Justitia commutativa est illa quae reddit unicuique quod suum est. — Justitia distributiva est illa qua diversis personis diversa tribuuntur, secundum proportionem ad dignitates personarum. — Justitia legalis seu generalis est virtus ordi-

nans hominem ad bonum commune seu generale, ut partes ad totum.

L

339. Late, stricte. — Late sumitur vox quae extenditur ultra significationem quam habet proprie loquendo. — Stricte sumitur vox quae non extenditur nisi ad significationem quam habet proprie loquendo.

340. Libere, necessario. — Libere fit quod fit ex voluntate. — Necessario fit quod non potest non fieri.

341. Libertas a coactione, a necessitate. — Libertas a coactione est illa quae excludit, omnem vim cogentem extrinsecus. — Libertas a necessitate, seu libertas arbitrii, seu libertas indifferentiae, est illa qua voluntas, positis omnibus ad agendum requisitis, non est ita determinata ad unum, ut non possit

velle aliud, sed procedit cum indifferentia judicii et cum potestate ad ponendum vel non ponendum actum, vel etiam ad ponendos actus contrarios circa idem objectum, scilicet amorem et odium.

342. Libertas arbitrii, voluntatis. — Libertas arbitrii est voluntas considerata uti voluntas. — Libertas voluntatis est voluntas considerata, uti natura.

343. Libertas a necessitate specificationis, a necessitate exercitii. — Libertas a necessitate specificationis est ipsa libertas contrarietatis. — Libertas a necessitate exercitii est eadem quam libertas contradictionis.

344. Libertas contrarietatis, contradictionis. — Libertas contrarietatis est potestas ad ponendum actus contrarios, quia extrema sunt contraria. — Libertas contradictionis est libertas ad ponendum vel non ponendum actum.

345. Locus, vacuum. — Locus est superficies immobilis concava corporis continentis. — Vacuum est locus non repletus corpore.

346. Locus extrinsecus, intrinsecus. — Locus extrinsecus est extrema superficies corporis aliud ambientis : v. g. concava superficies vasis aqua pleni est locus extrinsecus aquae. — Locus intrinsecus est determitio cujusque rei ut figatur in una parte spatii imaginarii prae aliis.

347. Locus extrinsecus immediatus, locus extrinsecus mediatus. — Locus extrinsecus immediatus est superficies seu locus qui immediate continet corpus : v. g. superficies vasis aquae. — Locus extrinsecus mediatus est locus qui mediate continet corpus : v. g. urbs respectu civium.

348. Logice seu metaphysice vel formaliter, physice. — Logice est idem quam independenter ab intellectu per operationem mentis. — Physice est idem ac a parte rei. (Vide *A parte rei.*)

349. Logice, metaphysice, physice. — Logice componitur quod componitur ex genere et differentia. — Metaphysice componitur quod componitur ex natura et subsistentia. — Physice componitur quod componitur ex materia et forma.

350. Locutio exterior, interior. — Locutio exterior est illa quae fit per vocem. — Locutio interior est operatio intellectualis qua conceptio unius ordinatur ad alterum et est proprium tantum angelorum.

350 *bis*. Ly est articulus demonstrativus quo verbum de quo est quaestio designatur; v. gr. pater major *me* est, ly *me* ad humanitatem et non ad divinitatem Christi refertur.

M

351. Magis et minus non mutant speciem. — Idem valet ac : cum magis et minus non designant essentiam sed quantitatem majorem vel minorem : ita non mutant naturam seu speciem rei.

352. Magis et minus prædicatur primo modo, secundo modo, tertio modo. — Magis et minus praedicatur primo modo, si praedicatur secundum solam quantitatem participati : v. g. nix

dicitur albior pariete, quia albedo est magis in nive quam in pariete. — Magis et minus praedicatur secundo modo, si praedicatur secundum quod unum participatur et alterum est per essentiam : v. g. bonitas est melior quam bonum. — Magis et minus praedicatur tertio modo si praedicatur secundum quod modo eminentiori convenit idem aliquid uni quam alteri : v. g. calor magis convenit soli quam igni. — Secundus et tertius modus impetunt unitatem speciei et univocam praedicationem, non vero primus modus.

353. Magnitudo molis seu dimensiva, magnitudo spiritualis seu virtutis. — Magnitudo molis est quae invenitur tantum in corporalibus, secundum longitudinem, latitudinem et profunditatem. — Magnitudo virtutis est quae reperitur in spiritualibus et dicit perfectionem naturae.

354. Majus intensive, extensive. — Majus intensive est quod magis participat de virtute alicujus formae. Majus extensive est quod majus est aliquo quoad superficiem.

355. Malum, bonum. — Malum est privatio perfectionis vel ipsa imperfectio. — Bonum

est idem quam perfectum, quia, uti perfectum, appetitur.

356. Malum metaphysicum, bonum metaphysicum. — Malum metaphysicum est privatio entitatis, sive potius, defectus aliquis entitati adjunctus, uti sunt mala naturae. — Bonum metaphysicum, seu transcendentale est bonitas cujuscumque rei seu entitas eadem rei.

357. Malum physicum, bonum physicum. — Malum physicum est privatio alicujus perfectionis physicae, uti malum pœnae. — Bonum physicum est perfectionum physicarum collectio.

358. Malum morale, bonum morale. — Malum morale est difformitas entis cum regulis morum. — Bonum morale est conformitas entis cum regulis morum.

359. Malum naturæ, malum pœnæ, malum culpæ. — Malum naturae consistit in corruptione aliquarum rerum vel in tendentia ad corruptionem, vel sunt consequentiae peccati. — Malum pœnae est ipsa pœna quae consequitur peccatum. — Malum culpae est ipsum peccatum.

360. Materia prima, secunda. — Materia prima est pura potentia passiva, id est, in genere entis est pura potentia de se indifferens ad omnes essendi modos : v. g. cera quae est transformabilis in omnes figurarum modos.— Materia secunda est materia quae habet formam.

360 *bis.* Materia potentiæ universalis, materia potentiæ particularis. — Materia potentiae universalis est entitas materiae secundum quod est capax ad recipiendum omnes formas substantiales et accidentales. — Materia potentiae particularis est capacitas materiae a certis accidentibus determinatae ad formam recipiendam determinatam.

361. Materia circa quam, ex qua, in qua. — Materia circa quam est materia de qua agens occupatur. — Materia ex qua est materia ex qua agens aliquid efficit. — Materia in qua est materia in qua agens operatur.

362. Materia communis, signata seu individualis. — Materia communis est materia in abstracto : v. g. liber. — Materia signata est materia in concreto : hic liber.

363. Materia physica, metaphysica.—Materia physica est pars composita quae recipit in se formam et varias determinationes. — Materia metaphysica est ipsum subjectum in quo praeter essentiam variae affectiones insunt.

364. Mathematice, moraliter. — Mathematice aliquid consideratur in quo attenduntur omnia minutissima : sic mundus mathematice non est rotundus. — Moraliter aliquid consideratur si consideratur non rigorose sed secundum communem aestimationem hominum.

364 *bis*. Materializatio est officium materiae cum recipit formam ad aliquod corpus constituendum.

365. Maximum per se est causa aliorum, non autem per accidens.—Quia quod est maximum per se jam continet in se eminenter omnia alia.

365 *bis*. Maximum quod non, minimum quod non. — Maximum quod non est terminus extrinsecus minimae quantitatis sine qua ens vivens reduci potest, ut a vita non discedat.—

Minimum quod non est minima magnitudo ad quam ens vivens tolli potest.

365 *ter*. Maximum quod sic, minimum quod sic. — Maximum quod sic est terminus maximus quem ens vivens pertingere potest. — Minimum quod sic est terminus proportionum ad quas ens vivens cujuscumque speciei devenire potest.

366. Medium in quo, sub quo, per quod. — Haec tria dicuntur de cognitione. — Medium in quo est objectum in seipsum existens. — Medium sub quo est ipsum lumen intellectuale. — Medium per quod est demonstratio.

367. Medium nobilius est extremis. — Axioma quod valet praecipue in moralibus : v. g. in medio stat virtus, quia est inter excessum et defectum.

368. Memoria intellectiva, sensitiva. — Memoria intellectiva est ipse intellectus, quatenus conservat species intelligibiles. — Memoria sensitiva est potentia apprehensiva particularium, unde retinet quae per sensus apprehenduntur.

369. Mensura, mensuratum. — Mensura est id per quod cognoscitur quantitas rei, et est quid minimum vel simpliciter respectu numeri, uti unitas ; vel quoad nos, uti in continuis.—Mensuratum est id cujus cognoscitur quantitas per mensuram.

370. Mensura extrinseca, intrinseca. — Mensura extrinseca est mensura quae existit in uno sicut in subjecto ad quod multa mensurantur ; uti vinea quae mensurat multos pannos, unde non multiplicatur ob multiplicationem mensuratorum. — Mensura intrinseca est mensura quae existit in mensurato, sicut accidens in subjecto; unde multiplicatur ad multiplicationem mensurati.

371. Modus. — Modus est determinatio adjacens rei quae quidem fit per adjectionem nominis adjectivi, quod determinat substantiam; unde modus determinat vel praedicatum, vel subjectum, vel formam.

372. Modus extrinsecus, intrinsecus. — Modus extrinsecus est respectus unius ad alterum, uti homo respectu columnae. — Modus intrinsecus vel absolutus est modus inhaerens rei.

373. Modus operandi, modus cognoscendi, modus prædicandi, sequuntur modum essendi, id est, operationes, cognitiones et attributiones conformantur essentiae rei, quae has operationes elicit circa objectum.

374. Modus substantialis, accidentalis.— Modus accidentalis est ille qui determinat substantiam effective ab eo qui dat modum omni rei, scilicet Deus. — Modus substantialis est ille qui determinat substantiam formaliter per proprium modum rei; unde modus substantialis determinat eamdem substantiam et modus accidentalis determinat accidens.

375. Moraliter, physice.—Moraliter idem est ac secundum commune judicium.—Physice idem est ac si spectetur res, prout existit in se.

376. Motus instantaneus, successivus. — Motus instantaneus est mutatio alicujus formae in aliam quae fit in instanti. — Motus successivus est mutatio quae fit per plura instantia.

377. Motus proprie, communiter. — Motus proprie est actus existentis in potentia, id

est, actualis tendentia mobilis ad terminum. — Motus communiter est quaelibet operatio.

378. Movere quoad exercitium, quoad specificationem. — Movere quoad exercitium est applicare ad agendum potentiam indifferentem ad agere vel non agere. — Movere quoad specificationem est determinare ad actum certae speciei potentiam ad utrumlibet indifferentem.

379. Moveri motu continuo, motu discreto. — Moveri motu continuo est deserere locum occupatum successive per partem. — Moveri motu discreto est deserere simul et non successive locum occupatum et statim acquirere locum occupandum.

380. Moveri per se, per accidens. — Moveri per se est moveri per naturam vel per violentiam. — Moveri per accidens est moveri per aliquam qualitatem naturae superadditam.

381. Moveri a seipso, ab alio. — Movetur a seipso quod habet principium motus intrinsecus. — Movetur ab alio quod habet principium motus extrinsecus.

382. Multiforme primo modo, secundo modo. — Multiforme primo modo dicitur quantum ad ipsam essentiam principii, in quantum scilicet est compositum et sic multiforme principium oportet esse posterius uniformi. — Multiforme secundo modo dicitur per respectum ad effectus; ut dicatur illud principium multiforme quod ad multa se extendit, et sic multiforme est prius uniformi, quia, quanto aliquod principium est simplicius, tanto ad plura se extendit.

383. Mutatio ab extrinseco, ab intrinseco. — Mutatio ab extrinseco dicitur, si ab aliquo agente extra rem, mutatur ipsa res. — Mutatio ab intrinseco dicitur si ex se aliquid mutatur.

384. Mutatio per additionem, per substractionem seu defectionem. — Mutatio per additionem fit si aliquid adjungitur alicui. — Mutatio per substractionem fit si aliquid desinit esse in aliquo quod erat antea.

385. Mutatio naturalis, miraculosa, convertibilis in nihil. — Mutatio naturalis est

illa quae fit a proprio agente secundum ordinem naturae. — Mutatio miraculosa est illa quae fit ab agente supernaturali supra consuetum ordinem et cursum naturae. — Mutatio convertibilis in nihil est illa secundum quam omnis natura est convertibilis in nihil.

386. Mutatio substantialis, accidentalis. — Mutatio substantialis est quando aliquid mutatur in aliam speciem, vel illa qua redditur inutile ad sui usum. — Mutatio accidentalis est alteratio entis qua non mutatur in aliam speciem nec per eam inutile redditur ad sui usum.

387. Mutatio terminative, subjective. — Mutatio terminative est quod actione producitur. — Mutatio subjective est quod est subjectum mutationis.

387 *bis*. Movens non motum, movens motum. — Movens non motum est motor qui sese movet, et ex se. — Movens motum est motor qui ab alio movetur.

N

388. Natura. — Natura est principium intrinsecum movendi et quiescendi in quo est primo et per se et non per accidens, quia motus provenit ab intrinseco. — Natura dicitur etiam essentia seu quidditas, quia per naturam sicut per essentiam ens completur in suo esse, et dicitur etiam entitas quaelibet quae intelligi potest positive ab intellectu.

389. Natura naturans, naturata. — Natura naturans est Deus, quatenus est producens omnia. — Natura naturata est connexio causarum secundarum.

390. Natura prius, posterius. — Natura prius est id quod est eodem tempore cum altero, quod est dependens ab eo ipso : v. g. causae sunt natura priores effectibus. — Natura posterius dicitur de aliquo quod est

eodem tempore cum altero a quo tamen dependet : v. g. effectus sunt natura posteriores causis.

391. Natura terminatur ad unum. — Quia sicut natura intelligitur uti necessaria, non potest se determinare ad plura.

392. Naturaliter, supernaturaliter, praeternaturaliter. — Naturaliter fit quod fit secundum cursum naturae. — Supernaturaliter fit, quod superat vires naturae. — Praeternaturaliter fit quod non superat vires naturae, sed est contra communem cursum naturae.

393. Naturaliter, spontanee. — Naturaliter dicitur fieri quod fit ex naturali inclinatione. — Spontanee dicitur fieri quod fit ex intrinseca intentione agentis cum cognitione.

394. Necessitas, contingentia. — Necessitas est ratio cur aliquid ita est ut non esse nequeat — Contingentia est ratio cur aliquid ita est, ut esse non possit, vel aliter esse.

395. Necessitas antecedens, consequens. — Necessitas antecedens est illa quae antecedit omnino exercitium nostrae voluntatis. — Necessitas consequens est illa quae supponit exercitium libertatis nostrae vel formaliter vel aequivalenter.

396. Necessitas finis, coactionis. — Necessitas finis est quando quis non potest sine hoc consequi aut bene consequi aliquem finem. — Necessitas coactionis est quando quis cogitur ab aliquo agente ita ut non possit contrarium agere.

397. Necessitas naturalis, absoluta. — Necessitas naturalis est quando aliquid necesse est alicui ex principio intrinseco sive materiali. — Necessitas absoluta est quando aliquid necesse est alicui ex principio formali.

398. Necessitas quoad specificationem, quoad exercitium. — Necessitas quoad specificationem est quando aliquis potest suspendere actum, si velit; sed si velit elicere aliquem actum, non potest nisi actum talis speciei. — Necessitas quoad exercitium est quando

aliquis constringitur non solum ad actum talis speciei, sed etiam ad ipsum agere.

399. Negatio negans, privans, negatio infinitans. — Negatio negans est quando exprimitur aliquid non esse aliquid : v. g. homo non est lapis. — Negatio privans est illa quae aliquid denegat alicui, sed tamen ponit aptitudinem : v. g. catulus privative non est videns ante nonum diem. — Negatio infinitans est quando negatur alicui aliquod attributum indefinitum.

400. Nescientia, ignorantia. — Nescientia negat simpliciter scientiam eorum quae quis non tenetur scire. — Ignorantia dicit negationem privationis addentis debitum finem scienti quod tenetur scire.

401. Nescire metaphorice, proprie. — Nescire metaphorice est quando aliquis se habet ad similitudinem nescientis : sicut Deus nescit quod reprobat. — Nescire proprie est quando quis caret notitia Dei.

401 *bis*. Nihil agit in distans. — Axioma, et significat quod causa non producit effec-

tum in loco remoto, nisi agat in spatio intermediario.

402. Nihil agit in seipsum. — Intelligitur secundum eumdem respectum, quia sicut idem nequit esse agens et patiens eodem tempore, ita non potest agere in seipsum. Attamen idem potest agere in aliquam partem suipsius : v. g. quum aliquis se flagellat.

403. Nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensibus. — Quia intellectus non est particularium, sed solum sensus; et omnia existentia entia sunt particularia.

404. Nihil fit ex nihilo. — Intelligitur de effectibus particularibus, qui, quum producantur a causis particularibus, egent aliquo praesupposito subjecto. Non intelligitur vero de Deo qui uti causa universalissima producit totum ens.

405. Nihil volitum quin præcognitum. — Valet hoc axioma quia voluntas, uti appetitus rationalis, sequitur semper cognitionem intellectus.

406. Non-ens primo modo, secundo modo, tertio modo. — Non-ens primo modo est quod nullo modo est, et ex tali non-ente non fit generatio quia ex nihilo nihil fit secundum naturam. — Non-ens secundo modo dicitur privatio ipsa quae consideratur in aliquo subjecto, et ex tali non-ente fit quidem generatio, sed per accidens, in quantum scilicet generatio fit ex subjecto cui accidit privatio. — Non-ens tertio modo dicitur ipsa materia quae, in quantum est esse, non est ens actu sed ens potentia.

407. Notio. — Notio seu ratio notionalis est propria ratio cognoscendi personam divinam.

408. Notio distincta, confusa. — Notio distincta est illa qua aliquid cognoscitur per ejus definitionem essentialem : v. g. homo est animal rationale. — Notio confusa est quando aliquid cognoscitur abstracte per quid nominis ejus, vel in suo universali : v. g. cognitio hominis uti corporis.

409. Notitia intuitiva, abstractiva. — Notitia intuitiva est cognitio rei existentis qua attingitur objectum in sua propria existentia

actuali. — Notitia abstractiva est illa quae est de re in aliquo repraesentativo, scilicet quando res praesens haberi non potest.

410. Notitia primo modo, secundo, tertio, quarto. — Notitia primo modo est ipsa natura cognoscitiva. — Notitia secundo modo est ipsa potentia cognoscitiva. — Notitia tertio modo est habitus cognoscitivus. — Notitia quarto modo est ipse actus cognitionis.

411. Notitia ex objecto et potentia paritur. — Intelligitur de idea expressa quae causatur a potentia intellectus per similitudinem objecti quae habetur per ideam impressam.

412. Notum per se, per aliud. — Notum per se est quod cognoscitur immediate et sine medio. — Notum per aliud est quod cognoscitur mediante alio medio.

413. Notum per se quoad se et non quoad nos, quoad se et quoad nos. — Notum per se quoad se et non quoad nos est quando praedicatum includitur in ratione subjecti, sed ratio subjecti non cognoscitur in prima apprehensione terminorum. — Notum per se quoad se

et quoad nos est quando connexio terminorum cognoscitur ex apprehensione terminorum : ex hoc intelligitur notas esse per se communes animi conceptiones.

414. Numerus numerans, numeratus. — Numerus numerans seu abstractus est ille qui mente concipitur, seu notio illa numerorum quam formamus in mente et quam explicimus notis arithmeticis. — Numerus numeratus, seu concretus sunt ipsae res quibus applicamus tales numeros, seu quarum multitudinem mensuramus et determinamus per numeros a nobis conceptos.

414 *bis*. Numerus numerosus est numerus abstractus quo intellectus utitur ad numerandas res.

415. Nunc. — Nunc est idem si consideratur in se, uti continuatio temporis, nam continuat praeteritum et futurum et est terminus temporis praeteriti et principium futuri. Nunc non est idem in quantum semper consideratur ut aliud ad aliud, secundum successionem temporis et motus.

O

416. Objective, subjective. — Objective idem est ac per modum objecti aut ex parte objecti. — Subjective idem est ac tanquam in subjecto aut ex parte subjecti.

417. Objectum, subjectum. — Objectum est id circa quod aliquid versatur. — Subjectum est id quod recipit formam.

418. Objectum materiale, formale. — Objectum materiale, seu, ut quod, est id quod a potentia attingitur non ratione sui sed ratione alterius, uti corpus videtur ab oculo ratione luminis. — Objectum formale, seu, ut quo, est id quod attingitur ratione sui et ratione cujus caetera attinguntur.

419. Objectum formale quod, formale quo. — Objectum formale *quod*, seu ratio *quae*, est ipsa res quae attingitur, ita color respectu

visus. — Objectum formale *quo*, seu *sub quo*, vel ratione *qua*, vel *sub qua*, est id, quo mediante, ratio attingit, ut lux respectu visus.

420. Objectum materiale adæquatum, inadæquatum. — Objectum materiale adaequatum est illud omne quod potest attingi ratione objecti *formalis quod*, et uti subest objecto, seu rationi formali *sub qua*. — Objectum materiale inadaequatum est illud quod totaliter attingi non potest ratione *objecti formalis quod*, quatenus non totaliter subest rationi formali *sub qua*.

421. Objectum extensionis, attributionis. — Objectum extensionis est idem ac materiale. — Objectum attributionis idem est ac formale.

422. Omne quod est ex suppositione quod sit necesse est esse. — Valet de principio identitatis, nam sicut quod est non potest non esse, ita quod est, est.

423. Omne quod movetur ab alio movetur. — Id est, idem non potest esse movens et

motum eodem tempore; unde oportet esse aliquam causam qua motum moveatur.

424. Omne æquivocum reducitur ad univocum sicut multa ad unum. — Dicitur de omnibus effectibus aequivocis qui, sicut non adaequant totam causam, ita omnes simul reperiuntur in causa.

425. Omnis actio est per aliam formam. — Nam sicut actio est accidens, immediate producitur per potentias, sed mediate et radicaliter per formam quae est natura entis in qua radicantur potentiae.

426. Omnis causa est principium, sed non vice versa. — Nam quod procedit a principio non procedit per influxum et dependentiam sicut ex causa, sed tantum per ordinem.

427. Operatio sequitur esse. — Valet axioma et idem est ac : Modus operandi cujuslibet rei sequitur modum essendi, quia nihil operatur nisi in quantum est actu. Vide : *Modus operandi sequitur modum essendi.*

428. Opinio. — Opinio est status mentis adhaerentis conceptioni ob motiva excedentia

valorem motivorum contra, sed cum formidine erroris.

429. Oppositorum eadem est potentia. — Nam sicut omnis potentia tendit in objectum sibi conveniens, ita aufugit quod est sibi inconveniens.

430. Ordine intentionis quæ sunt priora, posteriora sunt ordine executionis. — Intelligitur de causa finali, nam licet prius velimus finem quam media, exequimur tamen prius media quam finem obtineamus.

P

431. Passio perfectiva, læsiva. — Passio perfectiva est illa quae spectat ad perfectionem patientis, unde omnis receptio potest dici passio perfectiva. — Passio laesiva seu corruptiva est omnis impeditio in suo convenienti, scilicet, quando aliquid impeditur a suo convenienti.

432. Pati propriissime, proprie, communiter. — Pati propriissime dicitur quando aliquid removetur ab eo quod convenit sibi, secundum naturam aut secundum propriam inclinationem, sicut homo patitur quum aegrotat. — Pati proprie dicitur ex eo quod aliquid ab ipso abjicitur, sive sit ei conveniens, sive non conveniens, et secundum hoc, patitur non solum qui aegrotat, sed etiam qui sanatur. — Pati communiter dicitur ex eo solo quod id quod est in potentia ad aliquid, recipit illud ad quod erat in potentia absque hoc quod aliquid abjiciatur.

433. Per posterius, per prius. — Per posterius idem est ac a posteriori. — Per prius idem est ac a priori. Vide : *Demonstratio a priori et a posteriori.*

434. Per se primo, secundo, tertio, quarto modo. — Per accidens. — Per se primo modo praedicatum convenit subjecto, si praedicatum est de essentia subjecti, uti rationalis respectu hominis. — Secundo modo praedicatum convenit subjecto, si praedicatum est proprietas subjecti, uti risibilitas respectu hominis. — Tertio modo praedicatum convenit subjecto,

si praedicatum est aliquid essentiale subjecti, uti substantia respectu hominis. — Quarto modo praedicatum convenit subjecto, si praedicatum est propria operatio subjecti, uti sanare respectu medici. Per accidens praedicatum convenit subjecto, quod ei convenit, sed nullo ex his quatuor modis, uti albedo respectu hominis, cautus respectu medici.

435. Per se loquendo. — Idem est ac generaliter loquendo et absolute : v. g. per se loquendo ambulatio est indifferens.

436. Per se entitativum, per se prædicativum. — Per se entitativum, seu metaphysicum, est quando res de se et secundum suam naturam est talis. — Per se praedicativum est quando praedicatum est de ratione subjecti, et subjectum de ratione praedicati.

437. Perfectio prima, secunda. — Perfectio prima est ipsum esse agentis. — Perfectio secunda est operatio agentis.

438. Perfectio simpliciter, secundum quid. — Perfectio simpliciter est illa quae nullam imperfectionem habet nec oppositionem cum alia perfectione aequali vel majori.—Perfectio

secundum quid est illa quae mixtam imperfectionem habet, vel oppositionem cum alia perfectione aequali vel majori.

439. Perfectum perfectione entitatis, — seu quidditative, seu perfectum in sua substantia est illud cui nihil deest ad sui integritatem sive essentialem, sive quantitativam.

440. Perfectum perfectione virtutis, — seu qualitative est ens, quatenus habeat perfectionem, ita ut secundum genus illud non habeat nec plus nec minus.

441. Perfectum perfectione finis. — Vel est operatio ad quam virtus operativa ordinatur, uti finis horologii est demonstrare horas; vel est aliquid ad quod per operationem pervenitur, sicut finis aedificatoris est domus quam facit per aedificationem.

442. Perfectum positive, negative, privative. — Perfectum positive est ens habens omnia requisita ad sui complementum. — Perfectum negative est ens cui nihil de est perfectionis, juxta exigentiam suae naturae. — Perfectum negative est ens cui nihil deest perfectionis debitae in esse.

443. Perseitas, aseitas. — Perseitas est modus essendi per se. — Aseitas est modus essendi a se.

444. Personaliter, simpliciter. — Personaliter accipitur vox pro significato habito a parte rei independenter ab intellectu, uti homo respectu animalis rationalis. — Simpliciter vox accipitur secundum quae ei competunt per mentis operationem, uti homo respectu humanae speciei.

444 *bis*. Phantasma est species sensibilis per sensus externos percepta, et in imaginatione conservata.

445. Pluralitas materialis, formalis. — Pluralitas materialis seu numerica dicitur de pluribus individuis sub eadem specie contentis. — Pluralitas formalis, seu specifica, dicitur de pluribus specie diversis.

446. Pluribus intentus, minor est ad singula sensus. — Id est, quando magis augetur numerus objectorum nostrae attentionis, tanto plus attentio minuitur super singula.

447. Positive, negative. — Positive dicitur tale quod formam illius in se habet; ita

est infidelis positive qui pertinaciter renititur fidei. — Negative dicitur tale quod formam illius non habet, sed caret forma opposita : sic negative est infidelis cui fides nunquam fuit annuntiata.

448. Potentia activa, passiva. — Potentia activa est illa cui respondet actus, qui est operatio, et huic primo nomen potentiae videtur fuisse attributum. — Potentia passiva est illa cui respondet actus primus qui est forma, ad quam videtur similiter secundario nomen potentiae devolutum.

449. Potentia objectiva, subjectiva. — Potentia objectiva est possibilitas existendi. — Potentia subjectiva est capacitas ad aliquid recipiendum.

450. Potentia obedientialis activa, passiva. — Potentia obedientialis activa est illa qua creatura elevatur ad producendos effectus superantes ordinarias naturae vires. — Potentia obedientialis passiva est illa qua creatura elevatur ad aliquid recipiendum supra ordinarias naturae vires.

451. Potentia obedientialis, naturalis.— Potentia obedientialis est illa quae dicit ordi-

nem ad agens supernaturale. — Potentia naturalis est quae dicit ordinem ad agens naturale.

452. Potentia rationalis, irrationalis.— Potentia rationalis est proprietas consequens naturam rationalem et est ad opposita : ad unum naturaliter, ad alterum vero secundum quod a perfectione propriae naturae deficit. — Potentia irrationalis est proprietas consequens naturam irrationalem et est ad unum tantum, sicut potentia naturalis.

453. Potentia physica, moralis. — Potentia physica est libertas arbitrii quum potest malum eligere vel respicere. — Potentia moralis est quae habet facultatem abutendi potentia physica removendo impedimenta et quae sequeretur abusus potentiae physicae.

454. Potentia naturalis, moralis.— Potentia naturalis est quae recipit semper actum necessitate naturae. — Potentia moralis est quae recipit actum in multis casibus et juxta regulam et opinionem communem.

455. Potentia, potestas. — Potentia est capacitas essendi.— Potestas est potentia activa cum aliqua praeeminentia.

156. Potentia proxima, remota.— Potentia proxima est illa quae indiget operatione agentis alicujus ut transeat ad actum. — Potentia remota est quae ante actum indiget aliis principiis activis quae materiam praeparent.

157. Potentia metaphysica, physica. — Potentia metaphysica est exclusio impossibilitatis essendi sine suppositione alicujus physici et realis. — Potentia physica est illa quae non solum habet possibilitatem absolutam existendi in ente, sed etiam supponit ens existens aliquo modo et indicat possibilitatem existendi etiam altero modo.

158. Potentia et actus sunt eodem genere, quia proportionem habent inter se et consimili gradu perfectionis determinantur.

159. Practice, speculative. — Practice dicitur, si consideratur objectum in ordine ad agendum. — Speculative, si spectatur tantum in consideratione ut cognoscatur.

160. Prædicabilia. — Praedicabilia dicuntur: genus, species, differentia, proprium, accidens.

461. Prædicabilitas in abstracto, in concreto. — Praedicabilitas in abstracto est quando praedicatum abstractum tribuitur subjecto.—Praedicabilitas in concreto est quando praedicatum concretum tribuitur subjecto.

462. Prædicabiliter, prædicamentaliter. — Praedicabiliter dicitur accidens de aliquo, quod licet in praedicamento accidentis non ponatur, accidentaliter tamen alicui tribuitur. — Petrus est barbatus. — Praedicamentaliter dicitur accidens quod in praedicamento accidentis ponitur.

463. Prædicata tenentur formaliter et subjecta materialiter. — Praedicata tenentur formaliter, nam quod ponitur ex parte praedicati tribuitur ad naturam formae in supposito existentis. — Subjecta tenentur materialiter, quia quod ponitur ex parte subjecti trahitur ad partem suppositi.

464. Prædicatio materialis, formalis, identica. — Praedicatio materialis est illa in qua praedicatum et subjectum sunt quidem a parte rei eadem res, attamen in conceptu, unum nullo modo includitur in alio, ut animalitas est rationalitas. — Praedicatio forma-

lis est quando praedicatum nec omnino idem est nec essentialiter diversum a subjecto, sed unum aliquatenus includit aliud, id est, praedicatum in potentia includit subjectum, et subjectum in actu continet praedicatum : v.g. animal in potentia continet hominem et homo actu continet animalitatem. — Praedicatio identica est quando praedicatum omnibus modis idem est cum subjecto.

465. Prædicatio essentialis, causalis. — Praedicatio essentialis est illa in qua praedicatur forma essentialis de eo cujus est per modum totius. — Praedicatio causalis est quando causa extrinseca, scilicet efficiens, prædicatur de suo effectu vel e converso.

466. Prædicatio per se, per accidens. — Praedicatio per se est praedicatio sive materialis, sive formalis, sive identica. — Praedicatio per accidens est quando accidens praedicatur de accidente vel de subjecto, vel quando subjectum praedicatur de accidente.

467. Prædicamentum, anteprædicamentum, post-prædicamentum. — Praedicamentum est ordinatio quaedam diversarum rerum, secundum sub et supra. — Antepraedicamenta

sunt quaedam praeambula ad praedicamenta, id est : univoca, aequivoca, analoga, denominativa, complexum et incomplexum, regula entitatis et diversitatis, et divisio entis incomplexi in decem praedicamenta.—Postpraedicamenta sunt quinque modi consequentes praedicamenta.

468. Prædicatum, subjectum. — Praedicatum est id quod affirmatur actu de aliquo. — Subjectum est de quo aliquid affirmatur.

469. Prima, secunda, tertia, quarta species qualitatis. — Prima species qualitatis est habitus et dispositio quae determinant subjectum ad bene vel male habendum conformiter ad suam naturam, uti virtus quae determinat voluntatem ut bene se habeat et vitium ut male se habeat. — Secunda species qualitatis est qualitas disponens substantiam ad agendum vel resistendum, et dividitur in potentiam et impotentiam, prout qualitas disponens ad agendum vel recipiendum est fortis vel languida. — Tertia species qualitatis, scilicet, passio et patibilis qualitas est qualitas alterationem sensibilium causans vel ab alteratione sensibili causata.—Quarta species quali-

tatis, scilicet forma et figura, definitur: qualitas resultans ex diversa dispositione partium quantitatis, nam partes quantitatis sunt per se indifferentes ut diversimode disponantur.

470. PRIMO VERUM, SECUNDO VERUM. — Primo verum est quod est per se notum quoad omnes. — Secundo verum est quod est per se notum quoad aliquos.

471. PRIMO PRIMUS, SECUNDO PRIMUS MOTUS. — Primo primus motus est motus indeliberatus. — Secundo primus motus est motus semiplene deliberatus.

472. PRIMUS, SECUNDUS, TERTIUS, QUARTUS MODUS DICENDI PER SE. — Primus modus dicendi per se est vel quando superius praedicatur de inferiori, uti genus de sua specie, vel quando differentia praedicatur de definito: v. g. homo est rationalis, vel quando tota definitio praedicatur de definito, uti homo est animal rationale, vel quando idem praedicatur de seipso, uti homo est risibilis. — Secundus modus dicendi per se est quando adaequata passio praedicatur de suo adaequato primo subjecto, ut homo est risibilis, vel quando passio adaequata superiorum praedicatur per

se de inferiori, ut sortes est risibilis. — Tertius modus dicendi per se non est modus praedicandi sed essendi, et isto modo omnia per se sunt, quae per se et non in alio persistunt, uti Deus et omnes primae substantiae.—Quartus modus dicendi per se est vel quando effectus formalis praedicatur de aliquo, mediante sua causa formali, ut homo albedine est albus, vel quando progrediens a causa formali, dicitur de effectu formali, mediante causa formali : v. g. calidum calore calefacit; vel quando effectus praedicatur de suo immediato principio productivo, uti voluntas vult.

473. Primum simpliciter, non simpliciter. — Primum simpliciter est id ante quod nihil est. — Primum non simpliciter est id quod in aliquo genere ante se nihil habet.

474. Principium quod, quo. — Principium quod est subjectum cui tribuitur operatio. — Principium quo est virtus subjecti ex qua oritur immediate operatio. Vide : *Causa efficiens.*

475. Principium, principatum. — Principium est id a quo procedit aliquid quocum-

que modo. — Principatum est id quod procedit a principio.

476. Prioritas naturæ, posterioritas originis. — Prioritas naturae est positiva habitudo producentis ad productum. — Posterioritas originis est positiva habitudo producti ad producens.

477. Prius causalitate, generatione. — Prius causalitate est id quod est causa alterius. — Prius generatione est id quod prius generatur.

478. Prius dignitate, perfectione. — Prius dignitate est id quod est altero dignius. — Prius perfectione est id quod est perfectius.

479. Prius, posterius ordine. — Prius ordine est id quod aliud ordine praecedit. — Posterius ordine est id quod alii ordine succedit.

480. Prius, posterius tempore. — Prius tempore est id quod tempore antecedit. — Posterius tempore, quod tempore succedit.

481. Prius ratione, realiter. — Prius ratione est id quod est prius secundum nos-

trum concipiendi modum. — Prius realiter est id quod est prius, independenter a consideratione mentis.

482. Privatio, contrarium, negatio. — Privatio non ponit aliquid sed determinat sibi subjectum. — Contrarium aliquid ponit et determinat sibi subjectum. — Negatio nec aliquid ponit nec determinat sibi aliquod subjectum.

483. Pro generibus singulorum, pro singulis generum. — Pro generibus singulorum dicitur vox quae sumitur pro omnibus generibus et speciebus. — Pro singulis generum sumitur vox quando sumitur pro omnibus et singulis suis individuis.

484. Processio ad intra, ad extra. — Processio ad intra est origo producti coessentialis producenti. — Processio ad extra est productio entis dissimilis a natura producentis.

485. Productio activa, passiva. — Productio activa est datio esse non de nihilo. — Productio passiva est acceptatio esse non de nihilo.

486. Proprietas physica, logica. — Proprietas physica est illa quae distinguitur realiter ab essentia a qua naturaliter dimanat, uti sensus respectu animalis. — Proprietas logica est quae distinguitur tantum ratione ab essentia a qua dimanat, uti si revera emanaret ab essentia.

487. Proprium primo, secundo, tertio, quarto modo. — Proprium primo modo est id quod convenit soli et non omni : v. g. esse philosophum. — Proprium secundo modo est id quod convenit omni sed non soli : v. g. esse bipedem. — Proprium tertio modo est id quod convenit omni et soli sed non semper, uti ratiocinium respectu hominis. — Proprium quarto modo est id quod convenit omni et soli et semper, uti risibilitas respectu hominis.

488. Proprium, appropriatum. — Proprium est id quod ita convenit alicui, ut alteri attribui nequeat. — Appropriatum est id quod ita convenit alicui ut alteri attribui possit sive per similitudinem, sive per dissimilitudinem.

Q

489. Qualitas, quantitas. — Qualitas est accidens modificativum seu dispositivum substantiae in seipsa. — Quantitas est accidens extensivum seu dispositivum substantiae in varias partes integrantes. — Unde quantitas dat partes substantiae modificantes et qualitas eas disponit.

490. Quantitas dimensiva, virtutis. — Quantitas dimensiva, seu quantitas molis, convenit rebus corporeis tantum. — Quantitas virtutis, seu quantitas perfectionis, attenditur secundum perfectionem alicujus formae seu naturae, secundum durationem esse et virtutem agendi.

491. Quantitas permanens, successiva. — Quantitas permanens est illa cujus partes existunt simul, uti partes corporis humani simul existunt in corpore. — Quantitas suc-

cessiva est cujus partes non existunt simul, sed una succedit alteri, sicut quantitas horae non habet simul suas partes, sed una fluit post aliam.

492. Quantitas permanens continua, discreta. — Quantitas permanens continua, seu quantitas molis, est illa in qua partes divisibiles uno communi termino clauduntur, et dividitur in lineam, superficiem et corpus mathematicum. — Quantitas permanens discreta, seu quantitas multitudinis, seu numerus praedicamentalis est illa cujus partes distinctae sunt inter se propriis extremis conclusae, licet contractu aliquo copulentur.

493. Quanto agens est potentius, tanto magis potest actionem suam diffundere in distans. — Id est, per majorem potentiam agentis, producuntur effectus remotiores, sicut quanto magis corpus est calidum, tanto remotius calefactionem producit.

494. Quanto plus intellectus abstrahit in sensibilibus, tanto melius intelligit. — Nam sicut objectum intellectus est ens universale, ita quanto magis est universale, tanto proportionatum est intellectui; quod evenit

per majorem abstractionem a sensibilibus a quibus intellectus accipit cognitionem.

495. QUANTO FORMA MAGIS ACCEDIT AD SIMILITUDINEM PRIMI PRINCIPII, TANTO PLUS PARTICIPAT DE PERFECTIONIBUS EJUS. — Quia forma est aliqua similitudo ipsius primi principii.

496. QUID NOMINIS, QUID REI. — Quid nominis dicitur, quando demonstratur causa per ejus effectus. — Quid rei dicitur, quando assumitur ad demonstrandum aliquid de subjecto uti risibile de homine.

497. QUIDQUID POTEST ESSE CAUSA PRIMA CUM SECUNDA, ID POTEST SOLA CAUSA PRIMA. — Nam effectus causae secundae dependent a causa prima magis quam a secunda.

498. QUIDQUID RECIPITUR, AD MODUM RECIPIENTIS RECIPITUR. — Quidquid enim recipitur, recipitur secundum modum et proportionem recipientis, uti aqua recipitur in vase ad modum vasis.

499. QUO FORMALITER, QUO EFFECTIVE. — Quo formaliter est quod provenit in operationibus a forma subjecti. —Quo effective est id per quod aliquid active operatur.

500. Quoad entitatem, quoad habitudinem. — Quoad entitatem dicitur si in re consideratur quidditas vel essentia. — Quoad habitudinem dicitur si in re consideratur potentia seu capacitas ad aliquid.

501. Quoad modum, quoad substantiam. — Quoad modum idem est ac spectando modum rei. — Quoad substantiam idem est ac spectando rem in se.

502. Quod est, quo est. — *Quod est* intelligitur illud completum, quod subjecti et formae concretione constat, uti album per quod forma accidentalis, id est, color albus, exprimitur tanquam subjecto inhaerens. — *Quo est* significat tantum formam per quam subjectum determinatur.

503. Quod est, materia. — Quod est est ipsum compositum habens esse. — Materia non habet esse, nam ipsum provenit ex compositione materiae et formae.

504. Quod quid est, quia est. — *Quod quid est* est id per quod aliquid habet esse quid, id est, talem essentiam. — *Quia est...* Vide : *Demonstrative quia.*

505. QUOD ALICUI INEST PER PRIUS EST CAUSA OMNIUM IN QUIBUS ILLUD PER POSTERIUS INVENITUR. — Nam in illo essentialiter invenitur et in aliis per participationem, sicut ignis est causa caloris in omnibus calidis.

506. QUOD EST MELIUS IN SPIRITUALIBUS EST MAJUS. — Nam magnitudo in spiritualibus attenditur quoad perfectionem et quod est melius est perfectius.

R

506 *bis*. — Ratio causalis, formalis, objectiva. — Ratio causalis est principium quod res producit. — Ratio formalis vel est forma rei, vel est quod resultat ex attributis essentialibus, vel quatenus ipsa existunt in intellectu, vel quatenus ipsa existunt in definitione rei cujus sunt attributa. — Ratio objectiva est aliquid resultans ex attributis rei, quatenus ipsa in eadem re existunt : sic ratio

formalis hominis est animal rationale, et ratio objectiva est ipse homo.

507. Ratio perfectibilis, perficiens. — Ratio perfectibilis est quod est capax perfectionis. — Ratio perficiens est quod dat perfectionem.

508. Ratio sufficiens. — Ratio sufficiens est id quo posito sat intelligitur cur aliquid sit vel non sit.

509. Rationale communiter, discursive. — Rationale communiter dicit naturam tantum intelligibilem. — Rationale discursive includit discursum et deductionem.

510. Ratione seu mentaliter, realiter seu re. — Ratione idem est ac : secundum nostrum concipiendi modum. — Realiter idem est ac : independenter ab intellectu.

510 *bis*. Regula est prior regulato : axioma, et per se patet, quia regula cognosci debet antequam agatur de re regulanda.

511. Relatio. — Est ordo unius rei ad aliam.

512. Relatio realis, rationis seu intellectualis. — Relatio realis est illa quae habetur inter res quae habent naturalem ordinem inter se. — Relatio rationis est ordo quem ponit ratio in suis conceptibus.

513. Relatio realis praedicamentalis, relatio transcendentalis. — Relatio praedicamentalis et secundum esse est ipsum accidens relativum in creatis, et definitur : accidens reale cujus totum esse est ad aliud; constituit supremum genus relationis. — Relatio realis transcendentalis et secundum dici est ipsa realis relatio, si respicitur prius, prout res absolute in se ipsa est; et secundario, prout ordinata est ad aliam : relatio (v. g.) moventis ad motum.

514. Relatio mutua, non mutua. — Relatio mutua dicitur si in termino respondet alia relatio ejusdem generis, uti paternitati filiatio.—Relatio non mutua dicitur, si in termino non respondet alia relatio ejusdem generis, uti relatio creaturae ad Deum.

515. Relativa per accidens. — Relativa per accidens dicuntur ea propter quae sua genera sunt ad aliquid, ut medicina est ad ali-

quid; vel secundum quod aliqua abstracta sunt ad aliquid, quia concreta habentia illa abstracta ad aliquid dicuntur; vel secundum quod subjectum dicitur ad aliquid ratione accidentis.

516. Removens prohibens. — Removens prohibens est id quod solvit impedimenta et prohibentia.

517. Restrictio, ampliatio, alienatio. — Restrictio est coarctatio termini a majori ad minorem significationem. — Ampliatio est extensio termini a minori ad majorem significationem. — Alienatio est remotio propriae significationis ab aliquo termino translata ad impropriam significationem ob aliquem terminum adjunctum.

S

517 *bis.* Scibile est quod sciri potest et quod est objectum scientiae.

518. Scientia. — Scientia est cognitio certa et evidens rei per causam et est effectus demonstrationis.

519. Scientia actualis, habitualis. — Scientia actualis dicitur, si consideratur cognitio eorum quae scimus.—Scientia habitualis dicitur, si non consideratur in actu sed in facilitate quae remanet ex actu, oblato aliquo impedimento.

520. Scientia naturalis, supernaturalis. — Scientia naturalis est illa quae de rebus naturalibus et lumine naturali cognoscibilibus agit. — Scientia supernaturalis idem est ac theologia quae dividitur in theologiam viatorum et theologiam beatorum.

521. Scientia naturalis rationalis, realis. — Scientia rationalis est ea quae respicit ens rationis et videtur esse unica, id est, logica. —Scientia realis est ea quae respicit ens reale et dividitur in physicam, mathematicam, moralem seu ethicam.

522. Scientia speculativa, practica. — Scientia speculativa est illa quae consistit in

contemplatione veritatis. — Scientia practica est illa quae suas virtutes ordinat ad opus.

523. Scientia sulbalternans, subalternata. — Scientia subalternans est ea ex qua inferior scientia desumit sua principia. — Scientia subalternata est ea quae desumit sua principia ex conclusionibus superioris scientiae.

524. Secundo, primo. — Secundo, id est, apprehensio reflexiva.—Primo, id est, apprehensio directa.

525. Secundum quod. — Secundum quod aliquando valet habitudinem causae materialis, uti homo secundum quod ex elementis, est corruptibilis ; et idem est ac quatenus. — Aliquando valet habitudinem causae formalis, uti homo secundum quod est rationalis, est risibilis. — Aliquando dicit indivisionem concomitantiae : v. g. Christus secundum quod homo operatus est salutem nostram.

526. Secundum se, quoad statum. —Secundum se dicitur, quatenus consideratur aliquid quoad essentiam. — Quoad statum, quatenus consideratur juxta conditiones actuales.

527. Sensibile commune, proprium, per accidens. — Sensibile commune est objectum quod convenire potest pluribus sensibus. — Sensibile proprium est objectum quod convenit tantum uni sensui. — Sensibile per accidens est omnis determinatio concreta affecta ab ipso subjecto, quatenus sensus externi in percipiendis objectis sensibilibus propriis, percipiunt hoc ipso subjectum quod ipsa objecta afficiunt.

528. Sensibile repraesentativum, objectivum. — Sensibile repraesentativum est id quod est aptum natum repraesentare aliquod objectum sensibile.—Sensibile objectivum est id quod esse potest objectum sensus.

529. Sensibilitas, sensualitas. — Sensibilitas comprehendit omnes vires partis sensitivae, tum apprehensivas, tum appetitivas. — Sensualitas nominat tantum partes per quas moventur animalia ad petendum aliquid vel fugiendum.

530. Sensus divisus, sensus compositus.— Sensus divisus habetur, quando praedicatum convenit subjecto non manenti uti enuntiatur. — Sensus compositus quando praedicatum

convenit subjecto sumpto seu manenti uti in propositione enuntiatur.

531. Significatio practica, speculativa.— Significatio practica est id quod significando efficit id quod significat : sic litterae principis practice significant respectu alicujus qui nobilitatur. — Speculativa significatio est quod non efficit id quod significat, uti tota veteris legis speculative significant gratiam dandam per Christum.

532. Signum, signatum.—Signum est quodcumque notum in quo aliud cognoscitur, seu per quod aliquid manifestatur. — Signatum est aliquid repraesentatum per signum.

533. Signum naturale, conventionale. — Signum naturale est id quod habet nexum cum natura signati. — Signum conventionale seu datum est id quod habet nexum cum signato vi consuetudinis et conventionis, uti ramus olivae respectu pacis.

534. Signum sensibile, spirituale. — Signum sensibile est id quod est perceptibile per sensus. — Signum spirituale est id quod est cognoscibile per intellectum.

535. Signum ex quo, in quo. — Signum ex quo, seu signum objectivum, est id quod, praeter speciem quam ingerit sensibus, aliud facit in cognitionem venire; uti statua aliquid repraesetans, prius respicitur in se et deinde ad suum repraesentatum. — Signum in quo, seu formale, est id quod repraesentat objectum non prius cognitum, sed tanquam formam quae determinat potentiam cognoscitivam ad perceptionem objecti.

536. Similitudo, æqualitas. — Similitudo est unitas in qualitate. — Æqualitas est unitas in quantitate.

537. Similitudo factiva rei, similitudo a re. — Similitudo factiva rei est quando per modum hujus similitudinis primum potest repraesentare secundum. — Similitudo a re est quando per posterius repraesentatur primum et non e converso.

538. Simultate potentiæ, potentia simultatis. — Simultate potentiae dicuntur duo posse esse, quando ad utrumque eodem tempore habetur potentia, quamvis utrisque potentiae actus eodem tempore in eodem subjecto haberi nequeat; sic sedens potest stare

simultate potentiae. — Potentia simultatis dicuntur duo posse esse simul quae eodem tempore simul esse possunt in eodem subjecto, uti studere et sedere.

539. Singulare simpliciter, in respectu. — Singulare simpliciter est quodlibet individuum. — Singulare in respectu est id quod est minus universale respectu magis universalis.

539 *bis*. Singularitas seu individuatio est actio per quam aliquid individualisatur.

540. Species intelligibilis, sensibilis. — Species intelligibilis est determinatio recepta in intellectu ad intellectionem eliciendam. — Species sensibilis est determinatio qua intrinsecus affectus sensus elicit sensationem.

541. Species secundum rem et rationem, secundum rationem. — Species secundum rem et rationem convenit pluribus non tantum rationaliter sed etiam quoad se, uti natura humana respectu hominum. — Species secundum rationem est illa quae convenire potest multis tantum rationaliter, quatenus intelligitur ut in pluribus suppositis existens.

542. Species impressa, expressa. — Species impressa, seu idea impressa, est species quae praecedit cognitionem tanquam vicaria objecti et dicitur verbum mentis. — Species expressa, seu idea expressa, est terminus cognitionis et vitalis repraesentatio objecti producta ab intellectu patiente et dicitur etiam intellectio et dictio.

543. Species, genus, differentia. — Species definitur : unum aptum inesse multis et praedicari de illis in quid complete. — Genus definitur : unum aptum inesse multis et praedicari de illis, specie differentibus, in quid incomplete. — Differentia : unum aptum inesse multis et praedicari de illis in quale quid.

544. Species infima, genus infimum, differentia infima. — Species infima est illa quae sub se non habet aliam speciem sed solum individuum. — Genus infimum est quod habet supra se aliud genus, infra se vero nullum, uti animal. — Differentia infima est illa quae dividit genus infimum et constituit species infimas, uti rationale et irrationale.

545. Species media, genus medium, differentia media. — Species media est quae tam supra quam infra se habet aliam speciem, uti animal. — Genus medium vel subalternum est quod tam supra quam infra se habet aliud genus, uti corpus. — Differentia media est quae dividit medium genus et constituit medias species.

545 *bis*. Species prædicabilis, species subjicibilis. — Species praedicabilis est species considerata secundum quod est apta pluribus rebus inesse quae numerice non differunt. — Species subjicibilis est species secundum quod est immediate sub genere, uti animal quod immediate est sub ente vivente.

546. Species suprema, genus supremum, differentia suprema. — Species suprema est illa quae supra se non habet aliam speciem, uti corpus. — Genus supremum est quod supra se non habet aliud genus, uti substantia. — Differentia suprema est quae dividit genus supremum et constituit species supremas, uti corporeum et incorporeum.

547. Species, genus, differentia, proprium et accidens. — Species sumitur pro idea,

pro quacumque similitudine, pro natura completa constituta ex genere et differentia et supra, juxta hunc sensum, definitio habita est. — Genus sumitur pro stirpe, vel pro natione, populo, patria, vel pro sexu, vel pro ratione, modo, discrimine unius rei ab altera, vel pro ipsa rei specie, vel stricte pro specie, notione communi pluribus, et in eo sensu definitio supra : et est proximum, si inter ipsum et speciem non intercedit aliud genus, et remotum si aliud genus intercedit. — Differentia est quod constituit speciem determinatam, et dicitur maxime propria, vel ultima, vel specifica ; differentia propria est proprietas, differentia communis est accidens. — Accidens est id quod potest adesse et abesse, quin aliquid essentiale aut aliqua necessaria proprietas accedat rei aut ab ipsa auferatur et definitur : quod attribuitur multis in quale quid contingenter. — Proprium vero est quod attribuitur multis in quale necessario ; quia necessario consequitur essentiam jam constitutam.

548. Spirituale per essentiam, per causam. — Spirituale per essentiam est quod est tale in se. — Spirituale per causam est

quod producit aliquid spirituale, uti sacramenta.

549. SUBALTERNANS, SUBALTERNATUM. — Subalternans est id quod habet inferiora quae ab ipso dependent vel quoad principia, vel quoad operationes. — Subalternatum est quod est subordinatum ad subalternans.

549 *bis.* SUBJECTUM ADHÆSIONIS, SUBJECTUM INHÆSIONIS. — Subjectum adhaesionis est subjectum cui entitas modalis ita adhaeret ut complementum subjecti non sit et ab illo non dependeat uti a causa materiali. — Subjectum inhaesionis est subjectum quod est causa materialis accidentis et cui accidens intrinsece inhaeret, ita materia est subjectum quantitatis.

549 *ter.* SUBJECTUM ATTRIBUTIONIS, SUBJECTUM DENOMINATIONIS. — Subjectum attributionis est subjectum cui proprietates rei tribuuntur. — Subjectum denominationis est compositum quod est denominatum ob accidens uni ex suis partibus inhaerens : sic homo est albus ob colorem corporis.

550. SUBJECTUM PHYSICUM, LOGICUM. — Subjectum physicum est id cui inhaeret aliquod

accidens, uti homo respectu scientiae. — Subjectum logicum est id de quo aliquid praedicatur : v. g. Petrus respectu hominis.

550 *bis*. Subjectum prædicationis, subjectum receptionis puræ, subjectum substentationis. — Subjectum praedicationis est subjectum de quo aliquid dicitur essentialiter. — Subjectum purae receptionis vel informationis est materia entis compositi, cujus forma non educitur ex materia. — Subjectum substentationis est materia praeexistens ex qua educitur forma quae potentialiter in ipsa materia continebatur.

551. Subjective, terminative. — Subjective, id est, ex parte subjecti. — Terminative, id est, ex parte termini.

552. Subordinatio per se, per accidens. — Subordinatio per se est, quando unum accipit ab alio potentiam et actualem influxum ut agat actualiter. — Subordinatio per accidens habetur, quando unum accipit virtutem activam ab alio, sed non indiget actuali influxu.

553. Subsistentia, suppositum, persona. — Subsistentia est actualitas qua natura individua ita fit sui juris, ut non egeat alteri communicari ut sit et operetur. — Suppositum est subsistentia in entibus inanimatis et sensibilibus. — Persona est subsistentia in entibus rationalibus.

554. Substantia primo, secundo, tertio, quarto modo. — Substantia primo modo idem est ac essentia. — Substantia secundo modo idem est ac individuum. — Substantia tertio modo est substantia creata universaliter accepta. — Substantia quarto modo est substantia communiter accepta, prout ab omnibus est abstracta.

555. Substantia prima, secunda. — Substantia prima idem est ac individuum, quia intellectus fertur primo in substantias singulares quae sunt individua. — Substantia secunda est substantia creata universaliter accepta, quia intellectus intelligit secundo, id est, per reflexionem, quod habuit per perceptionem individuorum.

556. Substantia, accidens. — Substantia est ens per se, quatenus non inhaereat alteri

tanquam in subjecto, ut existat. — Accidens est ens quod inhaeret substantiae, ut existat.

557. Substantia non recipit magis vel minus. — Valet, nam quod unum et idem individuum non participat suam speciem quandoque magis, quandoque minus, nec etiam a diversis individuis participatur species substantiae secundum magis vel minus, attamen potest habere magis vel minus quoad perfectionem.

557 *bis*. Substare alicui est esse objectum rei : ita sol substat oculis illum aspicientibus.

557 *ter*. Substratum est id quod uti materiale in re invenitur.

558. Superficies simpliciter, continens. — Superficies simpliciter est id quod non continet aliud corpus intra se. — Superficies continens est id quod continet et ambit aliud corpus intra se.

558 *bis*. Suppositalitas idem est ac subsistentia.

559. Suppositio, appellatio — Suppositio est usus termini pro re aliqua. — Appella-

tio est applicatio qua significatio unius termini adjungitur, modo speciali, significationi alterius ; quae est formalis si applicetur ratione formae ; est materialis si applicetur ratione subjecti.

560. Suppositio formalis, materialis. — Suppositio formalis est usus termini pro eo quod significat. — Suppositio materialis est usus termini pro ipsa voce : v. g. Joannes est nomen ejus.

561. Suppositio propria, impropria. — Suppositio propria est usus termini pro eo ad quod significandum talis terminus est institutus. — Suppositio impropria est usus termini pro eo quod metaphorice significat.

562. Suppositio simplex, realis. — Suppositio simplex est usus termini communis pro eo quod immediate significat. — Suppositio realis est usus termini pro eo quod immediate et mediate significat.

562 *bis*. Supremum infimi attingit infimum supremi. — Axioma. — Per se patet, nam primum ordinis inferioris necessario ultimum ordinis superioris tangit.

T

562 *ter*. Talitas rei est modus essendi rei per quem res ipsa habet tales qualitates determinatas potius quam alias.

563. Tempus, ævum, æternitas. — Tempus est mensura eorum quae sunt subjectum transmutationis, vel in transmutatione consistunt; unde tempus habet principium et finem. — Ævum est mensura illius quod non est subjectum transmutationis, sed tamen habet transmutationem adjectam in actu vel in potentia, sicuti est in corporibus cœlestibus; unde aevum habet principium et non finem. — Æternitas habet nec prius nec posterius, unde nec principium nec finem.

564. Tempus continuum, discretum. — Tempus continuum est numerus motus per ipsum prius et posterius. — Tempus discre-

tum est duratio plurium particularium durationum mensurantium res instantaneas, non continuatas, vel res permanentes non successivas.

565. Tempus, duratio, instans. — Tempus est mensura, seu numerus motuum successivorum. — Duratio est sonus ex quibusdam momentis protractioribus, vel brevioribus compositus : v. g. cum pronuntiatur : Dominus. — Instans est mensura primi mobilis.

566. Terminus, subjectum, prædicatum. — Terminus est id in quod resolvitur propositio tanquam in praedicatum et subjectum. — Subjectum est terminus de quo alius enuntiatur in propositione. — Praedicatum est terminus qui enuntiatur (vide *Praedicatum*).

566 *bis*. Terminus actionis formalis, terminus denominationis, terminus intrinsecus unionis. — Terminus actionis formalis est qui producitur per actionem proprie et immediate. — Terminus denominationis est qui recipit ab actione novam denominationem. — Terminus intrinsecus unionis est forma compositi.

567. Terminus categorematicus, syncategorematicus, mixtus. — Terminus categorematicus est qui per se aliquid significat : v. g. homo. — Terminus syncategorematicus est qui per se non significat, sed solum alteri junctus, et solet vocari signum : v. g. omnis. — Terminus mixtus est qui virtualiter continet utrumque praedictum et in utrumque resolvitur : v. g. nemo.

568. Terminus concretus, abstractus. — Terminus concretus est qui significat formam ut in subjecto existentem : v. g. pulcher. — Terminus abstractus est qui significat formam ab omni subjecto separatam : v. g. pulchritudo.

569. Terminus connotativus, absolutus. — Terminus connotativus, seu adjectivus, est qui significat formam ut alteri adventitiam : v. g. bonus. — Terminus absolutus, seu substantivus, est qui significat aliquid per se stans, ut homo, lapis.

570. Terminus mentalis, vocalis. — Terminus mentalis, seu idea, est qui mente concipitur et retinetur. — Terminus vocalis est

qui per vocem exprimitur, et scriptum quod litteris mandatur.

571. Terminus primæ, secundæ intentionis. — Terminus primae intentionis est qui significat rem, secundum statum quem habet a parte rei, uti homo, leo. — Terminus secundae intentionis est qui significat rem secundum aliquem statum quem recipit ab intellectu, ut praedicatum, genus, species.

572. Terminus singularis, universalis. — Terminus singularis est qui de uno tantum dicitur, uti Socrates, Romulus. — Terminus universalis est qui significat aliquid commune pluribus, uti animal.

573. Terminus univocus, analogus, æquivocus. — Terminus univocus est qui significat rationem aliquam in pluribus simpliciter eamdem. — Analogus est qui significat rationem simpliciter quidem diversam, aliquatenus tamen similem. — Terminus aequivocus est qui significat res omnino diversas.

573 *bis*. To idem est ac Ly.

574. Totum, partes. — Totum est quod dividitur in plura. — Partes sunt ea plura in quae totum resolvitur.

575. Totum actuale, potestativum, modale. — Totum actuale est quod partibus actu constat. — Totum potestativum est quod partes habet tantum potentia. — Totum modale est quod dividitur ratione accidentium.

576. Totum metaphysicum, physicum, logicum. — Totum metaphysicum dicitur si partes sunt formaliter diversae, uti diversi gradus entitatis. — Totum physicum dicitur, si partes sunt realiter et invicem separabiles. — Totum logicum habetur, si constat partibus discretis tantum a consideratione mentis.

577. Totum essentiale, integrale, accidentale. — Totum essentiale habetur, si partes quibus constat ad essentiam pertineant. — Totum integrale habetur, si partes pertineant tantum ad quantitatem totius. — Totum accidentale, si partes sunt ita unitae ut non efforment totum individuum naturale : v. g. exercitus.

578. Totum homogenum, heterogenum. — Totum homogenum habetur, si partes omnes totius sint ejusdem rationis. — Totum heterogenum, si partes non sint omnes ejusdem rationis.

579. Tradux. — Est productio rei animatae ab alia per divisionem partis a producente.

580. Transmutatio intentionalis, naturalis. — Transmutatio intentionalis, seu spiritualis, est illa quae requiritur ad actum potentiae sensitivae apprehensivae. — Transmutatio naturalis, seu corporalis, requiritur per se ad actum appetitus sensitivi et per accidens ad actum potentiae sensitivae apprehensivae.

U

580 *bis*. Ubicircumscriptivum, ubidefinitivum idem sonant ac praesentia circums-

criptiva et definitiva. (Vide *Circumscriptive et definitive.*)

580 *ter*. UBICATIO, UBICATUS. — Ubicatio seu ubitas est relatio rei cum loco. — Ubicatus idem est ac existens in loco.

581. UBI NON EST TOTUM ET PARS, AUT TOTUM AUT NIHIL SUMITUR. — Scilicet, quod est simplex ex natura nequit realiter sumi una pars, altera relicta ; potest tamen per distinctionem rationis.

582. ULTIMUM. — Est aliquid rei et non reducitur in aliud genus, sed est in eodem genere, vel per se, uti ultima pars lineae, vel per reductionem, uti punctum ad lineam.

583. ULTIMUM IN RE, EXTRA RE. — Ultimum in re est bonum et perfectio inhaerens subjecto. — Ultimum extra re est id in quo consistit perfectio in re per quam subjectum est perfectum.

583 *bis*. Unicitas seu unitas solitudinis est ens unicum in sua natura.

584. UNIFORMITER, DIFFORMITER. — Uniformiter dicitur de causa, quando operatur

intra propriam sphaeram, unde producit effectus ejusdem rationis. — Differmiter dicitur causa operari in effectum non aequaliter ob dispositionem et distantias objectorum.

585. Unio substantialis, subsistentialis, essentialis. — Unio substantialis est conjunctio plurium rerum substantialium qua constituitur unum per se, in genere substantiae. — Unio subsistentialis est conjunctio plurium naturarum ex quibus resultat una subsistentia, suppositum vel persona. — Unio essentialis est conjunctio plurium ex quibus resultat una substantia et unica natura.

586. Unitas simplicitatis, compositionis. — Unitas simplicitatis, vel per se, est in ente indiviso actu et potentia. — Unitas compositionis est in ente indiviso actu, sed potentia divisibili.

587. Unitas compositionis per se, per accidens. — Unitas compositionis per se habetur, si componentia sint substantialia, et se habeant ut actus et potentia intra se, et si componentia unam substantiam habeant in toto. — Unitas compositionis per accidens habetur, si componentia substantialia non se ha-

beant ut actus et potentia, uti subjectum et accidens, et habeant distinctam existentiam, vel si compositio non sit substantialis sed secundum ordinem, sicut civitas; vel secundum ordinem et compositionem, ut domus.

588. Unitas affirmativa, exclusiva. — Unitas affirmativa est entis simplicitas et indivisio. — Unitas exclusiva est entis singularitas excludens sui similium pluralitatem.

589. Unitas numerica, specifica. — Unitas numerica est unitas et individualitas. — Unitas specifica, seu formalis, seu essentialis, competit individuis quae conveniunt in eadem definitione per quam habetur species.

590. Unitas generica, analoga. — Unitas generica est quae competit speciebus quae conveniunt in eadem ratione generica. — Unitas analoga est quae competit his quae conveniunt inter se vel per proportionem, vel per similitudinem.

591. Unitas universalis, sive rationis, præcisionis et formalis intentionalis. — Est illa qua per mentem plura individua fiunt una species aut plures species, unum genus: v. g.

ex pluribus hominibus fit abstracte homo. Ex pluribus speciebus fit abstracte animal.

592. Unitio, unio. — Unitio est ipsa actio unientis. — Unio est id quod formaliter extrema conjungit, vel relatio quae de ipsa conjunctione inter extrema resultat.

593. Universale in causando, in essendo. Universale in causando est causa universalissima, scilicet Deus. — Universale in essendo sunt naturae rerum quae existunt in multis individuis.

594. Universale in repræsentando, in cognoscendo. — Universale in repraesentando est universale quod respicit ideam quae est conceptio universalis. — Universale in cognoscendo est universale, quatenus respicit multa per cognitionem, uti intellectus.

595. Universale in prædicando, in significando. — Universale in praedicando, seu universale logicum, sunt eaedem naturae praedicabiles de multis. — Universale in significando sunt voces communes quae multa exprimunt.

596. Universale directum, reflexum. — Universale directum est diversa intuitio individui per quam intellectus percipit tantum ejus naturam abstractam a particularibus. — Universale reflexum est reflexio intellectus per quam ipse comparat universale quod est directum, uti habens ordinem ad plura.

597. Universale in re, post rem, ante rem. — Universale in re, id est, natura communis in particularibus. — Universale post rem, id est, abstractum ab eis. — Universale ante rem, id est, formae universales rerum in mentibus angelorum.

598. Universaliter, singulariter, particulariter. — Universaliter sumitur propositio cujus subjecto praeponitur particula universalis, *omnis*, *nullus*. — Singulariter sumitur propositio cujus subjectum est singulare vel aequivalens. — Particulariter sumitur propositio cujus subjecto praefigitur particula *aliquis* vel aequivalens.

599. Unum transcendentale, quantitativum. — Unum transcendentale est unum significans privationem divisionis. — Unum quantitativum est principium numeri.

600. Unum transcendentale opponitur multitudini privative. — Quia multitudo valet divisionem et unum transcendentale ejus indivisionem.

601. Unum quantitativum opponitur multitudini relative. — Quia unitas quantitativa se habet ad multitudinem sicut mensura ad mensuratum.

602. Ut in pluribus, ut in paucioribus. — Ut in pluribus dicitur, si res considerantur secundum quod communiter eveniunt. — Ut in paucioribus idem est ac raro.

602 *bis.* *Ut sic* indicat quod res consideratur in suo genere, et non in specie, vel in individuo.

V

603. Verbum mentale, vocale. — Verbum mentale est actualis expressa similitudo rei

intellectae. — Verbum vocale est vox significativa, expressiva conceptus mentis.

604. Veritas in essendo, in cognoscendo, in dicendo. — Veritas in dicendo valet veritatem moralem. — Veritas in cognoscendo, veritatem logicam. — Veritas in essendo, veritatem metaphysicam.

605. Veritas metaphysica, logica, moralis. — Veritas metaphysica, seu transcendentalis, est adaequatio rei et intellectus divini. — Veritas logica est adaequatio rei et intellectus humani. — Veritas moralis est adaequatio rei et intentionis intellectus qui eam manifestat extra se.

606. Veritas objectiva, subjectiva. — Veritas objectiva est modus quo res existunt, et idem est ac veritas metaphysica. — Veritas subjectiva est modus quo intellectus ens concipit et idem est ac veritas logica.

607. Veritas, veracitas. — Veritas est adaequatio rei et intellectus. — Veracitas idem est ac veritas moralis.

608. Veritas enunciationis, enunciationis proprie. — Veritas enunciationis est manifestatio verbis alicujus adaequationis rei cum intellectu, in divinis; si non in divinis, dicitur veritas enunciationis proprie.

609. Violenter, coacte. — Violenter movetur quod ab aliquo extrinseco movetur contra inclinationem propriam naturalem. — Coacte valet idem ac violenter sed tantum in rebus sensibilibus.

610. Virtualiter connexione naturali, ratione significationis. — Virtualiter connexione naturali consideratur res uti proprietas in essentia, effectus in causa. — Virtualiter ratione significationis res consideratur uti pars in toto, particulare in universali, implicitum in explicito.

611. Visio corporalis, spiritualis. — Visio corporalis est ea qua cognoscuntur visibilia corporalia. — Visio spiritualis est ea qua cognoscitur ipse Deus.

612. Vita prima, secunda. — Vita prima est natura seipsam movens. — Vita secunda est operatio vitalis.

613. VOLUNTAS ANTECEDENS, CONSEQUENS, CONCOMITANS. (Vide *Antecedenter, Consequenter, Concomitanter, juxta Thomistas*, 59.)

INDEX TERMINORUM

A

A parte rei..... 60
A posteriori..... 61
A priori..... 61
A quo..... 48
Ab impossibili sequitur quodlibet..... 1
Ab indifferenti uti indifferenti nihil determinatum oriri potest..... 2
Absolute..... 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9
Absolutum est prius relativo..... 10
Abstracta prædicantur de Deo..... 11
Abstracte..... 12
Abstractio formalis..... 13
Abstractio logica..... 13 *bis.*
Abstractio mathematica..... 14 *bis.*
Abstractio metaphysica..... 14 *bis.*
Abstractio physica..... 14 *bis.*
Abstractio realis..... 13 *bis.*
Abstractio simplex..... 14
Abstractio totalis..... 13

Abstractive..... 15
Abstractum alterius..... 274
Abstractum per existentiam..... 16
Abstractum per indifferentiam..... 16
Abstractum non ejusdem..... 274
Abusive..... 17
Accessorie..... 18
Accidens..... 20, 547, 556
Accidens absolutum..... 20 *bis.*
Accidens completum..... 21 *quater.*
Accidens extrinsecum..... 21 *ter.*
Accidens incompletum..... 21 *quater.*
Accidens inseparabile..... 21 *bis.*
Accidens intrinsecum..... 21 *ter.*
Accidens logicum..... 21
Accidens metaphysicum..... 21
Accidens modale..... 20 *bis.*
Accidens physicum..... 21
Accidens prædicamentale..... 20 *bis.*
Accidens separabile..... 21 *bis.*
Accidens individui consequitur materiam..... 19
Accidens non habet esse in subjecto..... 20
Accidens speciei consequitur formam..... 19
Accidentaliter..... 3, 197
Accommode..... 4
Actio..... 22
Actio accidentalis..... 32 *bis.*
Actio effective..... 27
Actio formaliter..... 27
Actio instantanea..... 22 *ter.*
Actio substantialis..... 22 *bis.*
Actio successiva..... 22 *ter.*
Actio per modum causæ finalis..... 27
Actio et passio differunt secundum speciem..... 24
Actio naturæ terminatur ad unum..... 23
Actio transiens concomitanter est in patiente... 25
Actio transiens quoad entitatem est in agente... 25
Actio voluntatis non terminatur ad unum..... 26
Actiones sunt suppositorum..... 28
Actu..... 29
Actualiter..... 30, 31
Actus..... 32, 257
Actus accidentalis..... 32 *bis.*
Actus directus..... 43, 332

Actus elicitus..... 33
Actus exercitus..... 44
Actus formalis..... 34
Actus imperfectus..... 32 *bis.*
Actus informativus..... 37
Actus imperatus..... 33
Actus metaphysicus..... 34 *bis.*
Actus non subsistens..... 35
Actus perfectus..... 32 *bis.*
Actus physicus..... 34 *bis.*
Actus primus..... 34
Actus primus proximus..... 38
Actus primus remotus..... 38
Actus purus..... 42
Actus reflexus..... 43, 332
Actus secundus..... 34
Actus signatus..... 44
Actus subsistens..... 35
Actus subsistens completus..... 36
Actus subsistens incompletus..... 36
Actus posterior est potentia..... 40
Actus prior est potentia..... 39
